6
20-b

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
8 M G
41

6-20-b-19

10

C.
A.21.

7r — 8.

IO: BAPTISTÆ BARGIOCCHI EPIGRAMMATA.

ROMA

Digitized by Google


IO·BAPT·BARGIOCCHI
E Societate IESV
EPIGRAMMATA
Sacra Moralia, Demonſtratiua
Bonacina ſcul.

IO: BAPTISTAE BARGIOCCHI

E SOCIETATE IESV

EPIGRAMMATA

SACRA MORALIA, ET DEMONSTRATIVA.

Hac Secunda Editione

Aucta, & recenſita.

ROMÆ. M.DC.LX.

Typis Ignatij de Lazaris.

SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTIS. & REVERENDIS.

PRINCIPI

BERNARDINO

SPADAE

S. R. E. CARDINALI

EPISCOPO PRAENESTINO

IO: BAPT. BARGIOCCHVS,

E SOCIETATE IESV.

Fœlicitatem.

APOLLINI deberi Carmina, decantatum vatibus effatum eſt. Tù maeſtate oris, loquendi ſuauitate, Poeſeos amore (qua quia Cœlites

ipſi delectantur, Viri ſapientes, Cœleſtibus orbibus concentum tribuère) multiplici eruditione ethruſci, latinique Sermonis elegantia, lectione ſcriptorum aſſidua, memoria pene infinita, non mihi tantum, ſed omnibus, qui te nouerunt, Magnus videris Apollo; Ergo tibi potius quam vlli alij hęc mea deberi Carmina nemo non videt. Accedit quod cum vix vllus licet peritus Agricola ſtatuere facile poſſit, an minus ſit agros repurgare, quam ſerere; Vites putare quam ponere, ſic dubitare aliquis non immerito poſſet, meane, an tua ſint hæc Epigrammata, qui ea non ſemel à me lecta patienter audiuiſti, quæ caſtiganda eſſent frequenter indicaſti, & in ſeceſſu Tiburtino æſta-

ſtate ſuperiori, in quo me tecum ſimul eſſe voluiſti, inter eruditiſſima Colloquia tua, dum ego tibi auidas, placidas vero tù mihi aures dares, non pauca, ex multis quæ huic libello adiunxi, acerrimi iudicij tui beneficio, ad meliorem formam reuocaui. Praeterea, ſi partus hic qualiſcumque meus ſine tua obſtetrice liberali manu lucem vix aſpexiſſet; Si iura tuæ erga me beneuolentiæ, à quinquaginta ferè annis non intermiſſæ, me totum ſibi repoſcunt, Cur ego dubitem leuiſſimum hoc obſtrictiſſimæ mentis argumẽtum tibi reddere, cui tot tantiſq. nominibus debetur. Accipe igitur Eminentiſſime Princeps, quod tuum eſt, quia meum; vel tuum, quia à tè lucis vſuram, & formæ

dotes accepit: ac inſuper pro tua benignitate patere, non moleſte, quod hiſce meis Epigrammatis vnicum tuum, tanquam fauſti ominis teſſeram, in fronte poſuerim, quandoquidem in tuo ſuburbano Tiburtino, parieti inſcriptum & mihi olim perſpectum, illico perſuaſit, vt ad tuam trutinam, iudicium, & cenſuram, noſtra vniuerſa, tunc & inpoſterum, cupidiſſime afferrem. Vale.

Ti-

TIBVRIS ET ROMAE
COMPARATIO.

AVt Socia, aut hoſtis; nunc par,nũc æmula Ro-(mæ,
Et maior natu Tiburis ora fuit.
Tros Graiũq;genus;Mars, & Tirynthius auſpex;
Numen vterque ferox, ſemen vterque Iouis.
Vi ſtuprata furens,erranſque ad Tibnris amnem,
Rapta eſt flumineo,nuptaque Rhea Deo.
*V*itricus hinc Anio,priuignus Romulus extat,
Atque parens Romæ pro patre Tibur habet.
Albula Romanum, Tiburs fuit Albula nomen;
Nunc quoque vix differt à Tiberone Tibris.
Quæq. ſub Auguſto lateres in marmora vertit,
De Tiburtino marmore Roma nitet.

Miraberis fortaſſe Lector, me de concionatore tam repente poetam euaſiſſe. Verum mirari deſines, ſi memineris multa, per iocum facta ſæpe felicius euenisse quam ſerio. Ego ad fallendas ſubciſiuas horas hæc ferme omnia Epigrammata ſcripſi, nec me illa imprimenda communis eius noſtri pruritus unquam inuaſit. Nunc autem, ut verum fatear, illud me pungit ac ſtimulat, quo antea non mouebar. Quid cauſæ fuerit, quare conſilium mutauerim, ſcire, ſi libet, ab amicis meis politioris litteraturæ peritiſſimis, qui mihi ſemel ac ſæpius huius impreſſionis uſuram promiſere non leuem, quæ me promiſſa diu tenent, ecce ad typographum nimis fortaſſe credulus ac-

Miraberis fortaſſe Lector, me de concionatore tam repente poetam euaſiſſe. Verum mirari deſines, ſi memineris multa per iocum facta ſæpe fælicius eueniſſe quam ſeria. Ego ad fallendas ſubciſiuas horas hæc ferme omnia Epigrammata ſcripſi, nec me illa imprimendi communis æui noſtri pruritus vnquam inuaſit. Nunc autem, vt verum fatear, illud me pungit ac ſtimulat, quo antea non mouebar. Quid cauſæ fuerit, quare conſilium mutauerim diſce, ſi libet, ab amicis meis politioris litteraturæ peritiſſimis, qui mihi ſemel ac ſæpius huius impreſſionis vſuram promiſere non leuem; qua me promiſſa dum tenent, ecce ad typographum nimis fortaſſe credulus

accurro. *Sed quia* credulitas *vt aie-bat Tullius* error eſt magis, quam culpa & quidem in optimi cuiuſque mentem facile irrepit; *hac bona mente, me apud te, humaniſſime lector, excuſatum cupio. At hæc communis, inquies, excuſatio eſt, quæ te à culpa non liberat huius æui. Non repugno, quin potius quia communis eſt error: communem ideo poſtulat excuſationem, quam ſi tu admittis benignus eris; ſin minùs, inhumanus. Sed hæc miſſa faciamus.*

Placuit hæc Epigrammata in tres libros diſtribuere, quandoquidem eorum argumenta ad tria capita poſſunt reuocari, nimirum, Sacra, Moralia, & Demonſtratiua. Verum vt vitetur dignitatis ordo, qui magnam ſæpe inducit nimia diſpoſitione confuſionem, libuit eadem in vno quoq; li-

libro permiſcere;ne quis conqueri poſſit: aut viros ſanctimonia claros inter ſe; aut viros præſertim Principes, de quibus timendum fortaſſe magis erat non fuiſſe pro meritis ac dignitate in ſuis ex ordine locis collocatos. Longa eſſe aliqua forſan Epigrammata dices; Attamen apud auctores non ignobiles longiora reperies, quæ ſi me ab errore non vindicant vindicet ſaltem celebre dictum illud Martialis. Non ſunt longa, quibus nihil eſt quod demere poſſis, *nam pauca ferme reſecanda reperies, niſi mutato ſtylo qui breuitati dum ſtudet, ſeruit obſcuritati, & numeroſam venuſtatem carminis penitus tollit; quin longitudo, quæ ab Hiſtorica, & neceſſaria narratione naſcitur, nec vlli moleſta, nec parum congruens eſt.*

Facta, & hiſtorias ſi tibi aliter

quam

quam ipſe refero aut legiſſe, aut audiſſe videaris; ſcito me illas hoc modo, qua verbo, qua ſcripto ab idoneis auctoribus accepiſſe, neq. hac me parte, vlla vſum eſſe licentia poetarum. Nec mirum eſſe debet ſi forte res eadem diuerſe à me quam ab alijs enarretur, cum factum idem etiam perſpectum oculis vix vnquam à pluribus eodem plane modo referatur. Non nego tamen argumenta ex moralibus non nulla eſſe conficta; ſed hoc factitatum ab alijs haud à poeſi cenſetur alienum, quæ veriſimile magis amat quam verum. Claritati ſtudui quantum potui, quæ tamen à ſtyli humilitate recederet; Verum quia perſpicuitas latini præſertim verſus, tanta eſſe vix poteſt, quæ omnia prima ſui fronte cunctis aperiat, te à me vehementer rogatum volo, vt

prius

prius quam de aliquo Epigrammate iudicium feras, non ſemel illud, ac præpropere legas; ſed cunctanter, & iterum, vt moris eſt in quibuſdam Italiæ nobiliſſimis Academijs; ita enim ſpero fiet, vt nec obſcurum, nec inſulſum reperias, quod primo curſim intuitu; haud tibi forſan tale videbatur. Experientia enim didici dum hæc viris attentis, & doctiſſimis legerem, non ſtatim percepiſſe quæ dicerem; Sed cum eadem repeterem, ea vehementer approbaſſe, & laudaſſe. Deniq; ſcias velim eo me ſpectaſſe dum ſcriberem, vt quiſq; vel mediocriter latinitate imbutus, hæc ſine vlla commenti ope perciperet, dummodo ea vellet aliquando non feſtinanter nimis, ac ſemel tantum, vt aiebam legere.

Sed venio iam ad ea Epigramma-

ta

ta quæ quoniam à me ad informandos mores inſtituuntur, moralia nuncupantur, de quibus vt te in veſtibulo opportunè præmoneam; ſcito me illa hac occaſione ſcripſiſſe. In clariſſima Italiæ Vrbe, nobilis quidam adoleſcens fuit; qui in celeberrima ibidem Academia Aetruſco ſæpe; Latino etiam aliquando ſermone, à ſe non pauca, & quidem eleganter conſcripta legebat; ſed nimis fortaſſe conſperſa inhoneſtæ dulcedine voluptatis. Hic à mè ſemel, ac ſepius admonitus de calamo non plane verecundo, ſolitus erat mihi reſpondere neminem poſſe, hac tempeſtate preſertim, audientes, aut legentes carmine delectare ſi religiosè valde pudori parcat, atq; adeo has eſſe hominum ſuperſtitiosè iudicantium querelas; illudq. optimum vbiq.

ba-

haberi quod placeat. Cui ego dum rationum momentis non ſine fructu aliquo contradico; vt rem tandem conficiam, illum ad experientiam prouoco, atq. idem argumentum, quod ipſe pudenter minus non ſine lepore aliquo, caſte tamen integreque, pertracto: tum ab eodem impetro, vt hoc meum Epigramma auctoris incerti nomine publicè recitet in Academia: placet audientibus, laudatur ab omnibus, magnis præconijs extollitur ab aliquibus. Quare ego ſucceſſu lætus, eiuſdem generis alia denuo ſcribo, euentu non diſſimili, ac tandem ingenuo adoleſcenti perſuadeo, poſſe innocenter vtilitatem cum voluptate coniungi, eoſque inexcuſabili culpa eſſe damnandos, qui vt delectent, quidquid eſt vtile longe à carminibus cogunt exulare: Tù ergo

pru-

prudens lector nec aliquem horum Epigrammatum titulum; nec primos quandoque verſus nimium cenſoria virgula damnes, ſed clauſulam patienter expecta, videbisq. non ſine fructu flores eſſe conſperſos, & mel ad ſanitatem propinari. Credasque non leuem fructum fore huiuſce qualiſcumque laboris mei: ſi non nulli animi liberæ oblectationi tantum inſeruientes, diſcant hinc tandem miſcere vtile dulci & poetarum inuerecundos verſus abhorrere.

In hac ſecunda editione ſupra centum ſexaginta Epigrammata adiuncta reperies; Sacra aliqua, Moralia plurima, Demonſtratiua non pauca, argumēto ſtylo, & acumine reliquis prioris editionis non inferiora, vt ſpero, & fortaſſe meliora;

Non

Non nulla primæ impreſſionis hic immutata cognoſces; nam iuxta illud Quintiliani Multum decoquũt anni;multum ratio limat.

Ne te hac epiſtola igitur diutius morer. Sis mihi precor cunctator perhumanus in legendo, & ſi quid boni repereris auctori, vt par eſt, Deo gratias reddito; ſi quid mali, ingenij tenuitatem excuſato; memineriſque: nullum eſſe ſine aliqua fece pretioſum vinum, caueaſq. ne mel à fauis exprimas, contempta cera.

AD PRINCIPEM,

RAYNALDVM

CARDINALEM ESTENSEM

Ornantem nouis fontibus Tiburtinos hortos.

Addere qui tentat fontes Eſtenſibus hortis,
 Iungere ſtellato num cupit aſtra Polo ?
Hoc reor : accendit pariter noua lumina cælum,
 Ignotaque iubet luce micare faces .
Sunt hi cælum horti ; ſi cælum fluctuat vndis ,
 Et veluti piſces ſidera in axe natant .
Nec ſemel hoc cælum Muſæ, Superique reuiſunt,
 Deliciaſque canunt hic reperiſſe ſuas .
Ergo ne timas tot fontibus addere fontes ;
 Sæpe nouos ignes , ſi quoque Olympus habet .

Hoc Epigramma ideo hic ponitur , quia ad Typographi manus peruenit, vltimis libelli paginis iam impreſſis .

GOSVVINVS NICKEL
SOCIETATIS IESV
Præpoſitus Generalis.

CVM Epigrãmata Sacra, Moralia, & Demonſtratiua aucta, & recenſita P. Ioannis Baptiſtæ Bargiocchi noſtræ Societatis Sacerdotis, tres eiuſdem Societats Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus vt typis mandentur, ſi ijs ad quos pertinet ita videbitur. In cuius rei gratia has litteras manu noſtra firmatas ſigilloq. noſtro munitas damus Romæ 18. Nouembris 1660.

GOSVVINVS NICKEL

Locus ſigilli.

Digitized by Google

Imprimatur.
Si videbitur Reuerendiſs. Patri Mag. Sac. Palatij Apoſt.
Oct. Caraffa Archiep. Patraſſ. Viceſg.

Imprimatur.
Fr. Raymundus Capiſuccus Mag. Sac. Pal. Apoſt. Ord. Præd.

Errata	Corrige.
Lib. I. Epig. 42. Diuini in	Diuini
Epig. 45. Vb quæ	Vbique
Epig. 47. Pronun	Pronum
Ibid. Sci	Sic
Epig. 48. Iuterrumptum	Interruptum
Epig. 49. Inœptumque	Inceptumque
Epig. 61. Iuc pes	Incipies
Epig. 71. Seu magis inuictam ſe monſtrat	Seu mage ſe inuictam monſtrat
Epig. 85. Meandris	Figuris
Epig. 92. Tonero	Tenero
Epig. 98. Qua	Quæ
Lib. 2. Epig. 7. Somnus	Somnum
Epig. 31. Vatiat	Variat
Epig. 36 Sempre	Semper
Epig. 41. Iuuenta	Inuenta
Epig. 47. Ei	Et
Epig. 50. Fontes	Fonte
Epig. 74 Et iniuſtus	Et iuſtus
Epig. 87. Parthenope	Parthenopes
Epig. 103 Ate	Arte
Epig. 118. Sanguinea	Sanguinea
Epig. 133. Arguta	Argutæ
Epig. 137, horriſonos	horriſono
Epig. 139. cacere	carcere
Epig. 140. Fiet	Flet
Epig. 190. Mortiſimago	Mortis Imago
Lib. 3. Epig. 6. Cotemne	contemne.
Epig. 18. fredare	frænare
Epig. 20. tna	tua
Epig. 23. reuolubills	reuolubilis
Epig. 34. ſtemma	ſtemmate
Epig. 59. Ioanni	Ioaunis
Epig. 76. crudule	credule
Epig. 77. emittere	emitteret
Epig. 87. fœlilicis	fœlicis
Epig. 105. aperculo	operculo
Epig. 115. iu	in

SACRORVM LIBER PRIMVS.

De nato Puero IESV *glaciali tempore.*

EPIGRAMMA I.

FRIGORE qui rigido tremulus gemit ore puellus,
Algenti torquet flammea tela manu.
Dat glacies ignem, dant horrida frigora flammas:
Vicinusque hoſti ſeruat vterque fidem.
Non par eſt illi, nec qui tonat æthere ab alto,
Fulminat hic flammis: fulminat ille niue.
Ignitas, i, cæcus Amor reſtingue ſagittas,
Si puer hic vrit frigida corda gelu.

De Puero IESV *in die Natali.*

EPIGRAMMA II.

BLande puer tu Cœlũ es,ſunt duo lumina Soles,
  Nubila ſunt gemitus vberiora tui.
Ne geme, ne geminos offundant nubila Soles,
  Sed geme, ne pluuias arida poſcat humus.
Aut quando Solem, fœcundaque nubila præfers,
  Alternent gratas nubila, Solque vices.
Nam radijs hinc terra tuis,inde imbribus aucta,
  Vel gelido refert ſub Ioue veris opes.

De Puero IESV *in ſtabulo.*

EPIGRAMMA III.

FLante gemit Borea qui nudus membra puellus,
  Te calida obſeſſum frigore veſte tegit.
Faſciolis gaudet ſe cingi, & paupere lino,
  Vt ſoluat collo vincula nexa tuo.
Ne te veſanus Paphijs Amor ignibus vrat,
  Virgineas gemino lumine fundit aquas.
Illius e lacrymis riſus naſcuntur amantum;
  Et lætum reſerat roſcido ab ore diem.
Mortali ſub nube latet; nam temperat vmbris,
  Detecto immenſum quod iacit ore iubar.
Tu tamen vt cernas Solem hũc ſub nube latentem
  Sit tibi Talpa oculus, Lyncea cor Aquila.

De

De eodem.

EPIGRAMMA IV.

NVdum armis ne crede Deũ, quẽ faſcia nectit,
Aſpera cui tenerum pungit ariſta latus.
Si neſcis, dulces ſunt linea vincla catenæ,
Sunt paleæ imbelli ſpicula torta manu.
His captus capit ille gemens mea pectora nodis,
Atque nouis iaculis me nouus vrget Amor.
Victorem, victumque eadem ſic vincula nectunt,
Quæque latus puero, cor mihi ariſta ferit.

De nato Deo.

EPIGRAMMA V.

QVi ſtipulas inter recubat, paleasque rigentes,
Et tenero tremulos ducit ab ore ſonos.
Qui liquidas placidè gemmas ſuſpendit ocellis,
Cor niueum & Matris ſugit ab vberibus;
Si neſcis, Deus eſt, hominum qui victus amore,
Cœlum humili gaudet poſthabuiſſe caſæ.
Aligeri Reges, Paſtores, Sydera, teſtes
Sunt; Pueri melior ſed mihi teſtis, Amor.

Pax naſcente DEO.

EPIGRAMMA VI.

AVreus annus init, rerum conuertitur ordo,
Vertitur, & flauo funditur ære dies.
Ecce quod inſano ſe quondam ſanguine ferrum
Proluerat, miti vulnere findet humum.
Et qua centenos dux caſſide pertulit ictus,
Ruſticus hac flores, pomaque rure feret:
Mollia nam terris ſecum gerit otia, cunas
Qui terit, & tremulo vix ſonat ore Deus.
Ite igitur duri procul hinc abſiſtite mores:
Ferrea non hoc ſub Principe ſæcla decent.

Triumphat de DEO *Amor in ſtabulo.*

EPIGRAMMA VII.

INgenti tonitru magnum qui concutit Orbem,
Et valida iactat fulmina ſæua manu;
Inſanire poteſt, ſi fas eſt dicere, quando
Iam Deus, in ſtabulo nudus, inermis eget.
Spicula vibrat Amor, Deus at ſua fulmina torquet,
Hæc tamen omnipotens fulmina vincit Amor.
Ergo qui neſcit poſſint quid ſpicula Amoris,
Hic fracto cernat fulmine amare Deum.

De

De Circumciſione Domini.

EPIGRAMMA VIII.

HInc prædura ſilex roſeo me territat imbre;
Inde mihi pueri nomina dulcè ſonant.
Nuncia venturæ ſunt hæc mihi nomina pacis;
Illa tamen duræ ſigna cruenta necis.
Sed video,hæc nimium teſtantia vulnera Amorem,
Nomine tam magno nobiliora nitent.
Candida nimirum ſpondet mihi tempora nomen;
Aurea ſed vulnus iam mihi ſæcla tulit.

De Circumciſione Domini.

EPIGRAMMA IX.

HOc bene, ſanguineum tenero de corpore rorem
Elicit, innocuo vulnere cara Parens.
Scilicet vt pueri tellus madefacta cruore,
Vernet purpureis vndique picta roſis.
Ceu ſi vera monent, oritur Roſa tincta rubore,
Ilicet vt ſpinam forte cruore rigas.
Tot pueros igitur, Regis quos ira peremit,
Quis neget hoc natas rore fuiſſe roſas?

De Sacroſancta Euchariſtia.

EPIGRAMMA X.

NE poſt hac quiſquã iactet mihi carmine menſas,
Attale ſiue tuas; ſiue Canope tuas;
Nam Deus inſtruxit terris noua fercula Amoris,
Quin ipſe eſt homini dapſilis eſca Deus.
O Superi, hinc vobis merito ſtupor occupet ora,
Veſtraque (ſi fas eſt) pectora liuor edat.
Nam quem vos oculis tantum ſpectatis Amantes,
Hic mandit, vobis vilior, omnis amans.

Aliud.

EPIGRAMMA XI.

ARtis opus raræ, ſpatio concludere paruo,
Vix bene cæleſtis quod capit ampla domus,
Hinc Archimedis fama eſt celeberrima terris,
Qui potuit vitro claudere Solis iter.
At præclara licet ſolerti ars cedat Amori:
Omne Deo quamuis nobile cedat opus.
Nam modo quem cæli nec Regia maxima claudit,
Clauſum fruge tenet ingenioſus Amor.

Chri-

Chriſtus Sanguinem ſudat.

EPIGRAMMA XII.

FLos meus Eliſijs Cæli nutritus in Hortis
Pallidus inflexo vertice languet humi.
Sed validi nimium nouus hic eſt languor Amoris,
Quo totus calido ſanguinis imbre fluit,
Scilicet acer Amor dum cordi incendia ſubdit;
Stillat purpureas flos rubicundus aquas.

Idem Argumentum.

EPIGRAMMA XIII.

SAnguineus tepidis ſudor fluit vndique riuis,
Dum languet nimio victus amore Deus.
An quia non oculis ſatis eſt fleuiſſe gemellis;
Purpureo toto e corpore rore gemit?
An ſponte, vt lignum, fœlicia balſama ſudat,
Quæ iam certa meis ſint medicina malis?
An mage, qualis atrox Elephas obſeſſus ab hoſte,
Fortior hoc viſo ſanguine in arma ruet?

Chriſtus ad Columnam.

EPIGRAMMA XIV.

CORpore iã lacero,& manibus poſt terga reuinctis
Semianimem Chriſtũ dura colũna tenet.
Interea hoc ſaxo mirum locat ille trophæum;
Eximiumque noui ſcalpit amoris opus:
Extulit vt quondam Traianus in vrbe columnam,
Quæ gerit artifici bella notata manu.
Quis fuerit ſcalptor, quod ſcalprum, forte requiris?
Scalptor Amor, ſcalprum virga, catena, flagra.

Idem Argumentum.

EPIGRAMMA XV.

CAucaſea gemuit religatus caute Prometheus,
Quòd tulit in terras Solis ab orbe facem:
Ecce columna flagris obiectat cruda Tonantem;
Ingentis pænæ cauſa nec vlla patet,
Forſitan in terras quia mittere venerat ignem,
Sorte Promethæa crimina falſa luit?

Ad Chriſtum Spinis coronatum.

EPIGRAMMA XVI.

QVæ tibi ſpina comã redimit,nũ cuſpis acuta eſt
Quæ flauas capitis prouida vallat opes ?
An ceu mala rigens cuſtodit Punica dumus,
Sic vigil iſte tuas ſeruat ab hoſte genas?
Sed male vel multo Spina cuſtode tueris,
Quod cupit Iſacidum diripuiſſe furor.
Nam ſi depoſita miteſcet cuſpide rhamnus;
Sæuiet horridior gens Solymæa rubis.

De S. STEPHANO.

EPIGRAMMA XVII.

TE petit horriſonis tempeſtas ſaxea nimbis:
Quaſſa tamen ſomnus leniter ora rigat.
Num tua membra rigent duro circumdata ferro?
Duritiem lapides an poſuere ſuam?
Non ita; ſed vitam, placidi ſub imagine ſomni
Linquis, & inſueta tendis ad aſtra via.
Scilicet in Cælum quondam via lactea duxit,
Sed tibi nunc melius ſaxea pandit iter.

De eodem.

EPIGRAMMA XVIII.

Qvæ pectus repetita tuum ſaxa aſpera rūpunt,
Sunt gemmæ, an pluuiæ lucido ab axe roſæ?
Nam tibi pro ſomno ſternunt hinc mollia fulcra,
Inde tuis nectunt gemmea ſerta comis.
Abnuis, & potius ſtellas ais eſſe micantes,
In Cœlum ſignent quæ tibi lactis iter.

De S. LAVRENTIO.

EPIGRAMMA XIX.

Dvm cubat ardenti Laurens reſupinus in igne,
Quam miros viſo fundit ab ore ſonos;
Verte, ait, immitis mea torrida membra Tyranne,
Et rabidam aſſata comprime carne famem.
Tu tamen haud iuuenem mireris in igne loquentē;
Nam flammis ſemper Laurus aduſta ſonat.

De

De Sancto HIERONYMO, *dum ſaxo pectus tunderet.*

EPIGRAMMA XX.

QVid tundis generoſe ſenex tua pectora ſaxo?
Excutere an flammæ ſemina corde cupis?
Extrahere an tentas rugoſo e cortice gemmam?
Nam concha eſt pectus, gemma cor alba tuum.
Effodere an ſperas vena de pectoris aurum,
Quo mercator emas aurea Regna poli?
Non ita; ſed validis exploras ictibus, an ſint
Corda adamas, vinci neſcia verberibus.

Diuo AVGVSTINO.

EPIGRAMMA XXI.

O Nouus, Aureli, cœco ſol Affricus Orbi;
Cui fuit haud magno lumine flamma minor!
Caeli, ales, quæ nunc pennis, nunc voce canora,
Virtutum, & Sophiæ pandis vtramque viam.
Quam benè tù lumen triplex ſcrutaris & vnum,
Igne doces proprio quam benè amare Deum.

De eodem.

EPIGRAMMA XVIII.

QVæ pectus repetita tuum ſaxa aſpera rūpunt,
Sunt gemmæ, an pluuiæ lucido ab axe roſæ?
Nam tibi pro ſomno ſternunt hinc mollia fulcra,
Inde tuis nectunt gemmea ſerta comis.
Abnuis, & potius ſtellas ais eſſe micantes,
In Cœlum ſignent quæ tibi lactis iter.

De S. LAVRENTIO.

EPIGRAMMA XIX.

DVm cubat ardenti Laurens reſupinus in igne,
Quam miros vſto fundit ab ore ſonos;
Verte, ait, immitis mea torrida membra Tyranne,
Et rabidam aſſata comprime carne famem.
Tu tamen haud iuuenem mireris in igne loquentē;
Nam flammis ſemper Laurus aduſta ſonat.

De Sanctò HIERONYMO, *dum ſaxo pectus tunderet.*

EPIGRAMMA XX.

Qvid tundis generoſe ſenex tua pectora ſaxo?
Excutere an flammæ ſemina corde cupis?
Extrahere an tentas rugoſo e cortice gemmam?
Nam concha eſt pectus, gemma cor alba tuum.
Effodere an ſperas vena de pectoris aurum,
Quo mercator emas aurea Regna poli?
Non ita; ſed validis exploras ictibus, an ſint
Corda adamas, vinci neſcia verberibus.

Diuo AVGVSTINO.

EPIGRAMMA XXI.

O Nouus, Aureli, cœco ſol Affricus Orbi,
Cui fuit haud magno lumine flamma minor!
Caeli, ales, quæ nunc pennis, nunc voce canora,
Virtutum, & Sophiæ pandis vtramque viam.
Quam benè tù lumen triplex ſcrutaris & vnum,
Igne doces proprio quam benè amare Deum.

Vnicus es Phœnix ſacratos inter olores,
Nec tibi laudabunt ſæcla futura parem.
Ergo tibi ſolium ſit Caelum, Regia mundus,
Te mare, te tellus, ignis, & aſtra canant.

Ad Sanctam CATHARINAM SENENSEM.

EPIGRAMMA XXII.

SVnt cælum, Catharina, micans, an molle roſetum
Hæc tua quæ roſeo vulnere membra nitent?
Scilicet hinc ſtellas radiantia vulnera vincunt,
Hinc eadem ſuperant ſanguine tincta roſas.
Aſt ego te caelum dicam, ſimul atque roſetum:
Nam nimis hæc pariter te retuliſſe iuuat.
Eſt Amor, atque Deus, tua qui connubia poſcit,
Vult Deus hoc cœlũ; vult Amor haſce Roſas.

De

Ad Sanctam CATHARINAM SENENSEM, *dum illi Chriſtus offert ſpineam coronam.*

EPIGRAMMA XXIII.

IN vultu, Catharina, tuo num purpura vernat;
  Quæ pingit teneras ambitioſa roſas?
An roſa tu potiùs, cœli nutrita roſetis,
  Ad nos ſydereis es modò lapſa plagis?
Quidquid eris: nullis ſpinarum cincta maniplis;
  Haud bene tam roſeo picta colore nites.
Sume igitur ſpinas, Chriſti quas dextera profert,
  Queis ſine nullâ roſis purpura tuta foret.

De Sancto FRANCISCO.

EPIGRAMMA XXIV.

HActenus ætherei qui vim non nouit Amoris,
Franciſcum eximij cernat Amoris opus,
In quē ſe aut furtim Chriſtus trāsformat Amator,
Ipſe vel in Chriſtum tranſit amatus Amans.
Aut bene tam ſimulat quino ſub vulnere Chriſtum,
Vt dubites, iterum num velit ille mori.

Cor volans ad Chriſti vulnera.

EPIGRAMMA XXV.

COr petit ecce meū rapidis tua vulnera pennis.
Vnde mihi toties ſpicula torſit Amor,
Sed moueat celerem, neſcit per inane volatum
Icarijs pennis, an mage Dædaleis.
Scit tamen hoc, calidi nimium prope lumina Solis,
Quod vitam, & pennas perdere fortè poteſt.
Sed modò perueniat, fœlici vt Dædalus auſu,
Ah precor, vtatur caſibus Icarijs.

De Chriſti ingreſſu in Aegyptum iuxta Iſaiæ verba.

Ecce Dominus aſcendit ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum.

EPIGRAMMA XXVI.

TV caue, ne iactes poſthac ô barbara Memphis,
 Imbriferum nunquam te coluiſſe Iouem.
Nam tua Regna ſubit deuectus nube curuli,
 Ætherei pluuias qui tenet Orbis opes.
Te ſegete hic nimia melior ditabit Oſyris,
 Et tuus hæc nubes paruula Nilus erit.

De Muliere Cananæa, quæ à Chriſto comparata eſt cani.

EPIGRAMMA XXVII.

ECce catella ſequax Domini iam ſentit odores,
Et mitem latebris euocat arte feram.
Lambere quam lingua, non lædere dentibus optat,
Agni etenim morſus non timet iſta canis.

Ad Chriſti Diſcipulos, qui timebant mergi, dum ille dormiret in naui.

EPIGRAMMA XXVIII.

VOs, timidæ ò mentes, plus falſa pericula terrent,
Quam recreet præſens, qui regit aſtra, Deus?
Sic veſtro de corde fidem metus excutit ingens,
Et ſpes non rupta naufraga puppe cadit?
Hic fragor vndarum, reſoni ſunt murmura ponti,
Ante Deum lætus qui ſine lege ſalit.

Dor

Dormiat ille licèt, vigili ſat lumine cernit,
Quàm malus exagitet pectora veſtra timor.
Credite, ab hoc ſomno diſcet mox vnda quietem,
Et ſiluiſſe diu, dum ſilet ille, fretum.

De Sancto BARTHOLOMÆO.

EPIGRAMMA XXIX.

CHriſti nudus Amor nudos optabat amantes;
At modo natiua vel ſine pelle cupit.
Teſtis, qui lacera ſpoliatus pelle, rebellis
Armeniæ, potuit ſubdere colla Deo.
Nimirum cordis validas amor arietat arces;
Vincat vt has citius; diruit ante cutim.

De

De eodem.

EPIGRAMMA XXX.

NE timeas pelagi fluctus calcare cruenti,
O cui detracta viſcera pelle patent.
Lino etenim fertur, quamuis tua fracta carina,
Quo ratis haud ſimili Theſſala nauit aquis.
Pande igitur ventis laceræ noua lintea puppis:
His tibi nam tutus ſydera portus erunt.

De Sancto MATTHÆO.

EPIGRAMMA XXXI.

MAtthæum vt vidit, iaculo transfixit Amoris,
Haud gemino captus lumine Chriſtus Amor,
Dumque auidis telum penitus bibit ille medullis,
Fit vigilans Argus, qui modò cœcus erat.
Nam ſi cœcus amor miſeros excœcat Amantes,
Lumina dat cœcis mille oculatus Amor.

San-

Sanctus LVCAS *ex pictore pictus.*

EPIGRAMMA XXXII.

ARs tibi, iam viuis animare coloribus ora;
Hinc pictor verſo munere pictus erit.
Tu bene pingebas pecudumq; hominumq; figuras;
Sed mira in te nunc pingitur arte Deus.
Et quem nec tellus, nec fingere ſydera poſſunt,
Cordis parua tui picta tabella gerit.
Aſt operi egregio, ſi quis cupit addere nomen,
Pingebat, poterit ſcribere, Diuus Amor.

Sancta DARIA *à Leone in lupanari ſeruata.*

EPIGRAMMA XXXIII.

NObilis in fœdum trahitur Daria lupanar:
Sed pudor eximius nec loca fœda timet.
Hìc nam luxuriant homines vbi more ferino,
Viſa eſt humano prædita corde fera.
Nimirum e cauea ſpirans Leo naribus ignem
Adſtitit, optatam ſponte daturus opem.

Ili-

Ilicet infamis diſceſſit turba procorum,
Vixque ſibi potuit conſuluiſſe fuga.
Ergo vel in cælo Virgo eſt benè iuncta Leoni,
Si Leo ſic arcet damna pudicitiæ.

Sanctus NICOLAVS *tribus auri maſſis tres Virgines à pudoris periculo liberat.*

EPIGRAMMA XXXIV.

Iuppiter auratum cælo deſcendit in imbrem,
Vt gemmam incluſæ virginitatis emat.
Sed tu illibatum qui trina in virgine florem
Auro ter ſeruas, quàm Ioue maior eris?
Maior eris: pluuio pariter nam prodigus auro,
Virgineum retines, quod rapit ille, decus.

De

De Sancta CLARA *Virgine*.

EPIGRAMMA XXXV.

IRrumpunt fœdæ ſacrata in Clauſtra Phalanges,
Virgineos cupiunt dum violare thoros.
At ſubito occurrit generoſo pectore virgo,
Facto hoc, quàm claro nomine, Clara magis.
Et Cereris clauſum parua ſub fruge Tonantem,
Audet Barbaricis oppoſuiſſe minis.
Ilicet atra cohors terram petit ore ſupino,
Nec velata poteſt lumina ferre Dei.
Sed bene quàm decuit pactos tibi, Chriſte pudores,
Corporis obiectu non perijſſe tui?

De Sancto ÆGIDIO, *quem ſenem cerua lactauit in antro*.

EPIGRAMMA XXXVI.

QVis mihi nunc pueros, nutritos lacte ferino
Nominet, aut dulces, quos aluiſtis apes?
Si iam cerua ſenem frondóſo lactat in antro,
Vberaque Ægidius, ceu puer, ore premit.
Scilicet hæc proprios inſtillant vbera mores;
Hinc cerua vt montes, ſic petit aſtra ſenex.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

De

De Stellis, quæ ſupra corpus Sancti IGNATII *vita functi effulſerunt.*

EPIGRAMMA XXXVII.

TE quibus adnumerē, Phœbi cui lumina cedūt?
Nox teſtis, vultus lumina pulſa tui.
Limina cùm tenebris offuſa iacentis amici,
Obſtupuere nouo te ſubeunte die.
Ergo tui meritò poſtquam lux occidit oris,
Aethereas vidit ſurgere Roma faces.

De Amore in Deum, quo aſſiduè ſuſpiria, & lacrymas fundebat Sanctus IGNATIVS.

EPIGRAMMA XXXVIII.

DVm tibi diuino pectus torretur ab æſtu;
Ingemis, & lacrymis ora, ſinuſque madent
At flammis hæc lenta nouas ſuſpiria vires
Sufficiunt, lacrymis creſcit & ignis edax;

Sed

Sed video, flammas, opera ad fabrilia nutris,
  Pectore vt in medio ſpicula cudat Amor,
Scilicet exacuet ferrum; ſuſpiria flammis
  Nutrimenta feret, telaque tinget aquis.

De muſicis modis ad S. IGNATII *Sepulchrum auditis.*

EPIGRAMMA XXXIX.

Qvæ tumulo e gelido vox exequialia fundit
  Carmina quiſue modos reddere ſaxa docent?
Num potuere tui cineres animare ſepulchrum,
  Aſperaque in laudes ſaxa mouere tuas?
Aligeri liquidas an conceſſere per auras
  Huc, tua vocali ludere facta Lyra?
Dulciùs vt forſan diſcant hinc flectere cantus,
  Orphæum ad tumulum ceu Philomela ſolet?

De pallido ſæpe vultu Sancti IGNATII.

EPIGRAMMA XL.

IGne Dei toto iam corde Ignatius ardet;
Et tamen infuſcat pallidus ora color.
Nec calidæ ſurgunt ardenti è corde fauillæ,
Quæ roſeis pingant ſqualida membra notis.
Ne mirere, velut leuibus cinis ignibus exit,
Qui cælat rutilas, & fouet intus opes.
In cineres vultus ſic cordis ab igne reſedit,
Vt cordis flammas occulat, & foueat.

Digitized by Google

S. IGNATIVS *ſtellato cælo alloquens Deum ait.*

Quam ſordet terra, dum cælum aſpicio.

EPIGRAMMA XLI.

IAm pridē in lacrymis afflictus demoror annos,
Te ſine, pax animi, diuitiæque mei:
Quare ego ſi gemmas, aurumque plicatile cerno;
Aut redeunte nouo læta roſeta die;
Gemma oculos, roſa picta genas, aurumq; capillum,
Et vultus referunt hæc mihi iuncta tuos.
At ſi corda tibi, ſtellis dum lumina figo,
Aethere cum puro ſole cadente micant;
Nobiliora Dei ſtellas ſimulacra tuenti,
Quàm ſordet, placuit quicquid in Orbe prius!
Ergo ſola meos quoniam nox temperat ignes,
Phœbe vale, & longùm nox mihi ſola micet.

De flamma circa caput Sancti IGNATII *viſa, dum ſacrum faceret.*

EPIGRAMMA XLII.

QVi nitidos lambit crines innoxius ignis,
Dum ſupplex puro pectore ſacra facis;
Eſt lapſus caelo? an vis ignea vicit Amoris,
Vertit & in flammas iam tua corda leues?
Vt queſita diu diuini in lumina vultus
Ni prius inueniant, irrequieta volent?
Vicit Amor: ſed cor fugiens ſub imagine flammæ,
Quem petit, hic retinet frugis in orbe Deus.

De S. IGNATIO *lacum ingreſſo, vt iuuenem ab impudico amore reuocaret.*

EPIGRAMMA XLIII.

IGnea quis gelidis contorſit ſpicula ab vndis,
Aut flammas vmquam creſcere vidit aquis?
Temperet vt Veneris iuuenilem Ignatius ignem,
In gelidum ignitus deſilit ipſe lacum.
Dumque ſuus viget ardor aquis, tela ignea formaт,

Quæ vincant ignes, ò Cytherea, tuos?
Iamque coruſca volat lymphis emiſſa ſagitta,
Atque vſtum flamma cor meliore domat;
Nimirum gelidis faber ingenioſus in vndis,
Ignea tela etiam cudere nouit Amor.

Diuo IGNATIO *Templum*.

EPIGRAMMA XLIV.

SIt tibi templum orbis Loyola, altaria tellus;
Sit Phœbus lampas, ſydera mille faces.
Pelion, atque Oſſam iungant Tythanes Olympo,
Et tibi viua trahant hinc ſimulacra manu.
Nomina tum radijs Loyolæ inſcripta coruſcis,
Lactea perpetuo ſemita fronte gerat.
Dein magno tonitru cantet facta ardua caelum,
Et ſimul aſtriferis orbibus vſque ſonet.
Loyolæ hoc etenim virtus petit inclyta templum,
Quæ fouet amplexu Solis vtrumque latus.

De Arbore Societatis IESV.

EPIGRAMMA XLV.

CEu vitreas arbor creſcit prope fluminis vndas,
Quā leue murmur aquę, Phœbus, & aura fouēt,

Sic Loiola tuus, frondoſi ô gloria Regni,
Te leuibus Zephyris, flumine, ſole colit,
Phaebus Amor, lacrymæ flumen, ſuſpiria venti
Sunt, quibus arboreum vincis vbiquæ decus.
Auguror, his ſemper viues nutrita colonis,
Inſcripta & Ieſu nomine poma feres.

De RODVLFO *Aquauiua*

EPIGRAMMA XLVI.

QVid ferrũ increpitas, mortéq; Rodulphe, laceſ-
Dũ ſciſſa in collũ vulnera velle vocas? (ſis,
Forte times, gladium ne primus guſtet amictus,
Atque leuem faciat vulneris inde moram?
Hoc puto; nam mortem qui vult ſuperare cadendo,
Vulnera vel tunicis inuidet ille ſuis.

De eodem.

EPIGRAMMA XLVII.

OCeano facile emenſo, partoque triumpho
Ex opibus, morti denique bella moues.
Nec clypeo nulli gladio penetrabile pugnas,
Sed nudus collo tela cruenta cies.

Quin

Quin pronum incuſans quaſi lentū in vulnera ferrū;
Intrepidus flexo poplite fata ſubis.
Sic cadis, & ſurgis, ſic fers à vulnere palmam,
Vincere nempe hoſtes eſt ita ſponte mori.

De B. ALOYSII *ſepulchrali opere intermiſſo.*

EPIGRAMMA XLVIII.

GOnzagæ ò cineres, caſtæ domus aurea mentis,
Digni olim ſolem cingere nube leui,
En tumulum vobis ſudat factura ſuperbum
Roma, nec ingentes ſunt ſatis Vrbis opes.
Teſtis Iaſpis, Onyx, Cyanus, Amethiſtus, Achates,
Et quæ opere in medio marmora ſecta iacent.
Sed fallor, moles ideo ditiſſima languet,
Atque interruptum nobile pendet opus;
Nam veluti gemmas viuens deſpexit, & aurum,
Sic eadem extinctus reſpuit ipſe cinis.

Idem Argumentum.

EPIGRAMMA XLIX.

SVrgebat ſacri moles operoſa ſepulchri
Marmoreis nimium lucida ſyderibus;

Cum ſubito aſtrorum caelo chorus affuit alto,
Et caſtos cineres deueneratus ait;
Nos decet hic tumulus, vos hinc abſiſtite gemmæ
Aſtra hic nam poſcit non ſimulata cinis,
Quin decet, at cõtrà, nos gẽmea marmora clamãt,
Si gemma hic diues virginitatis erat,
Hinc opere in medio moles formoſa pependit,
Inœptumque nouæ reſtitit artis opus.
Et ſtabit donec ſuperi certamina ſiſtant.
Ac tandem cedant ſydera ſyderibus.

De S. FRANCISCO *Xauerio inter ſpinas nudis pedibus ambulante.*

EPIGRAMMA L.

QVos pedibus roſeos educit ſpina cruores,
Illos naſcentem ſpargere crede diem.
Nam veluti puros fundit Tithonia rores,
Exerit Oceano cum rubicunda caput.
Sic aurora plagis melior Franciſcus Eois,
Fœcundo ſterilem rore colorat humum.

Idem

Idem Argumentum.

EPIGRAMMA LI.

Qvæ Veneri molles pupugit ſpina aſpera plan-
Purpureo niueas pinxit honore roſas. (tas,
Aſt hæc Xauerij pedibus quæ ſanguinis vndam
Elicit, emittit ſanguine tincta roſas.
Illa colorauit (ſi vera eſt fabula) flores;
Protulit hæc veris nobilioris opes.

Cancer marinus S. FRANCISCO *Xauerio Chriſti ſimulacrum In Cruce affixi vndis abſortum reſtituit.*

EPIGRAMMA LII.

Effigiem Chriſti, duro quæ ſtipite pendet;
Xauerio abripuit vaſta procella maris.
Ille dolens ſtetit: incertus ceu nauita, quando
AEquora nocte fremunt, & cynoſura fugit.
Nec mora longa, pius verrens cũ cærula Cancer,
Detulit amiſſæ pondera amata Crucis.

Aſt ego, ſigniferæ tali hunc pro munere, Zonæ,
Crediderim ſolitum deſeruiſſe locum.
Sin minus ille fuit, cælo qui ſplendet ab alto;
Dignus, qui ſtellis inſereretur, erat.

B. STANISLAO *Societatis Ieſu, qui nulla vi morbi mortuus eſt.*

EPIGRAMMA LIII.

NOn tibi vis morbi, miſeræ prænuncia mortis
Stamina perpetuò currere digna ſecat.
Ocidis ipſe tamen primæuo in flore iuuentæ,
Vt cadit ardenti tacta calore roſa.
Eſt mortis num cauſa nouæ vis feruida Amoris,
Et tibi pro Lacheſi ſtamina rumpit Amor?
Sic puto: nam lento furtim qui carpitur igne,
Occulto tandem paſtus ab igne cadit.

De

De B. STANISLAO, *cui pe-ctus Amoris igne æſtuans frigida temperabant.*

EPIGRAMMA LIV.

IAm Staniſlaus caeleſti languet ab igne;
Et ſuperum placidè victus amore perit,
Accurrunt ſocij, tenerique incendia cordis,
Effuſis lymphis poſſe tepere putant,
Sed mage ſydereæ creſcunt in pectore flammæ,
Nam ſacer hic gelidas haud timet ignis aquas.
Scilicet hunc ignem ſolus benè temperat ignis;
Ne cadat ergo; ignes ignibus adde nouos.

De S. MARIA MAGDALENA *ad Chriſti pedes lacry-mante.*

EPIGRAMMA LV.

TActa dolore graui mulier clariſſima forma,
Ad Domini plantas ſic ait illacrymans.
Hactenus in terris vmbras ſectata fugaces,
Nunc ſolem amplector facta beata nouum.

Hic glaciem cordis radio feriente reſoluet,
Incendetque meum cor meliore rogoi
Et quia Sol puri fulgorem diligit auri,
Sol amat, & baccas, ò Erithree tuas.
Hæc tibi, quæ poſſum, capitis nunc aurea fila,
Et gemmas voueo, quæ mihi ab ore cadunt.

De eadem

EPIGRAMMA LVI.

Qvot currunt oculis gemmæ,tot ſydera currũt,
Et niueos lambunt ore voluta ſinus.
Quin & ſponte ſua ſubeunt veſtigia Chriſti:
AEthereis pedibus nempe ſubeſſe iuuat.
Nam plantas cæli ſolitas calcare nitores,
Hæc tremula in terris nũc premere aſtra decet.

De eadem ad Chriſtum properante.

EPIGRAMMA LVII.

MAgdalane ceſſes Veneris iactata procellis
Quærere quaſſatæ littora tuta rati;

In

In mare nam gemitus, cordis ſpirantibus auſtris,
Pes Domini fidus mox tibi portus erit.

IOSEPHI *in Aegypto caſtitas.*

EPIGRAMMA LVIII.

EGregius forma iuuenis, cui purpura malas
Pingebat, puræ mixta colore niuis.
Cui coma lacteolum lambebat fulgida collum,
Binaque certabant lumina ſyderibus:
Dulcia cui teneris ridebant labra corallis,
Stabat & in toto plurimus ore decor:
Inuidia primùm fraterna notus, & inde
Notior in vinclis, dure Canope, tuis;
Nomine ſed caſto toto clariſſimus orbe,
Et Phario tandem nobilis Imperio.
Hic dum ſeruus adhuc auro frueretur herili,
Intrauit vacuæ tecta repoſta domus.
Cum pede furtiuo Veneris male ſaucia curis,
Ecce venit, domino nupta puella ſuo.
Atque illum arripiens; lacrymis armata doloſis,
Da mihi cara tui dona pudoris ait.
Horruit ille manus fœdoſq; exoſus amores;
Ora verecundis erubuere roſis.

Tum cito dimittens maculata hoc pallia tactu,
  Seruauit celeri corda pudica fuga,
Hinc pugna indomitũ vos diſcite vincere amorẽ,
  Vincere vix etiam quem fuga ſola poteſt.

De S. VINCENTII *vulneribus ab Angelis ſanatis:*

EPIGRAMMA LIX.

O Fœlix iuuenis: non te fera iuſſa Tyranni
  Perdere, non diræ te potuere neces.
Nam lapſa Aligerũ volucres pia turba per auras;
  Vulneribus medicas applicuere manus:
Sed tua cælicolum ſanat dum vulnera dextrâ,
  Tunc noua diuinus vulnera figit Amor.
Vulnera, queis gratum langueſcit pectus amore,
  Ipſaque dat dulcem reddita vita necem.
Fortunate nimis: ſeu mors, ſeu vita ſequatur;
  Non ſine diuini vulnere Amoris eris.

Aliud

Aliud

EPIGRAMMA LX.

SYdera ſunt roſeæ terebrato in corpore plagæ,
 Sunt tua, Vincenti candida membra polus.
Ergo cæleſtes hæc parcite vulnera mentes
 Claudere, & ò medicas parcite ferre manus.
Nam veluti orbatus ſtellis flet moeſtus olympus,
 Sic cælum hoc, iſta nunc ſine luce gemet.

De S. SYMPHORIANO *adoleſcente, qui dum ad ſupplicium duceretur, matris voce incitatus fortiter carnifici collum prebuit.*

EPIGRAMMA LXI.

AD rigidam ſæuo ſtipatus milite mortem
 Duceris, o fortis Symphoriane puer;
Ilicet accurrit generoſo pectore mater;
 Et cælum, exclamat, ſuſpice nate precor;
Illic amiſſis fugitiui temporis annis,
 AEternum incipes viuere nate diem.
Annuis, & caræ ſtimulatus voce Parentis

Spon-

Sponte necem, cæli captus amore ſubis.
Fortunata Parens, cui bis licet edere natum,
Ventre ſemel terris, & ſemel ore Deo.

Ad Ioannem Berchmans Soc. Ieſu inſignem oculorum modeſtia adoleſcentem, qui vita functus coeco viſum reſtituiſſe dicebatur.

EPIGRAMMA LXII.

Vixiſti, & rerum mendaces cernere vultus,
Nec voluere oculi, nec potuere tui.
Nam tibi Virgineas pudibunda modeſtia luces
Clauſerat, & Chriſto ſub duce cæcus eras.
Cæcus eras terris; cælum ſed lumina mille
Spectabant, ſic tu cæcus, & Argus eras.
Quid mirare igitur quondam ſi lumine caſſi
Per te nunc cæli ſydera clara vident.
Digna oculis merces quos caſta modestia clauſit
Nempe fuit, cæcis poſſe aperire diem.

Ad

Ad Cardinalem Bellarminium, qui natus eſt die obitus S. Franciſci, & obijt eo die, quo idem ſtigmata diuinitus accepit.

EPIGRAMMA LXIII.

Dat tibi Franciſci primam luxvltima vitam;
Murice tu, ſacco pauper at ille fuit.
Saucius eſt quino Franciſcus vulnere, ſed tu
Dum Chriſti plagas accipit ille, cadis.
Nec mirum, nam Franciſci quæ vulnera corpus:
Illa eadem penitus cor petiere tuum.

Aliud.

EPIGRAMMA LXIV.

Qua placidè moriens Franciſcus luce quieuit,
Hauſiſti cæli lumina prima puer;
Illius & vitæ fortunatiſſimus hæres,
Sub tyrio meliùs murice pauper eras:
Aſt illi Deus impreſſit cum ſtigmata Amoris;
Te iuuat ingratos linquere morte dies:
An quia Franciſco iam par, hac diſpare ſorte;
Quod non te ſignat ſtigma, dolore cadis?

Flos indicus tormenta CHRISTI *inſculpta gerens.*

EPIGRAMMA LXV.

VEris honos, terræque decus; flos gloria florum,
 In quo mors floret non moritura Dei.
Quam benè tam varios narras ſine voce dolores?
 Quam benè tot pœnas florea tela refers?
Pagina odora nimis, qua me Natura magiſtra
 Sanguineum Domini funus amare docet.
Viue diù, nec te flammæ, nec frigora lædant,
 Et tua factus apis mella recondat Amor.

B. SPERANDIA *Cingulana, cæmentarijs impetrat è cælo ceraſa brumali tempore.*

EPIGRAMMA LXVI.

CIngulei Virgo non vltima gloria collis,
 Quæſita eſt ceraſos ferre rigente gelu.
Illa vt tam cupido feſtina indulgeat ori,
 Inſtitit ardenti flectere mente Deum.
Cùm puer eſt viſus leuibus per nubila pennis;
 Plena nouis ceraſis lata caniſtra ferens.

Hæc

Hæc virgo appoſuit ſtupidis lætiſſima fabris,
  Quorum ſurgebat ſacra labore domus.
An quia Virgineos flores in corde gerebat,
  Cæleſtes fructus exhibuere manus?

S. Foelix *araneæ tela defenſus.*

EPIGRAMMA LXVII.

Ingreditur Fœlix murum feſtinus hiantem,
  Dum fugit hoſtiles in ſua damna manus.
Nec mora, prætenui velauit aranea tela,
  Quod ſaxa anguſtum diſſociabat iter.
Et fuit hac Fœlix ſæuo tam tutus ab hoſte,
  Quàm vallata altis horrida caſtra iugis.
Fide Deo, quicumque times, ſi stamen Arachnes
  Fœlici clypeus, murus, & agger erat.

De S. Philippo Nerio, *cui coſtæ diuini amoris igne intumuerunt.*

EPIGRAMMA LXVIII.

Aeſtuat ingenti ſuccenſus amore Philippus,
  Nec tantos ignes tam breuis vrna capit.
At

At calor anguſti confinia pectoris auget,
Preſſaque coſtarum corda tumore leuat.
Tù tamen errasti, ſi fas est dicere; quamuis
Vrere ſis doctus pectora fortis Amor;
Nam magè debueras vel cordis rumpere vallum,
Ipſa vel in cineres ſoluere corda leues.
Scilicet aut rupto volitaſſent carcere ad aſtra,
Aut caperet cineres, ſi nequit vrna facem.

Ad Angelum, qui telo aureo vulnerat S. THERESAM.

EPIGRAMMA LXIX.

Cvr petis, ò Ales, Thereſæ corda ſagittis,
Si noua vulneribus pars tibi nulla patet?
En totum cor eſt vulnus, nec vulnera debes
Addere vulneribus, quò tua præda cadat:
Nec ſenſum cordis lenit, licèt aurea, cuſpis,
Sed facit hoc aurum vulnera cruda magis.
Quin potiùs rape corda tuis iam ſaucia telis.
Et ſine corde nouum viuet Amoris opus.

Puer

Puer in Iaponia tractat manibus prunas.

EPIGRAMMA LXX.

Cvm Genitore cupit natus ſeptennis Iapon
 Pro Chriſto in flammis funera ſæua pati.
Cui Pater illacrimans; non tu, dulciſſime, dixit,
 Quæ ſpernant ignes, pectora dura geris.
Tunc puer ardentem currit feſtinus ad ignem,
 Et manibus prunas lætior ore refert.
Ac, ſim ne horribilis contemptor funeris, inquit,
 Quod valeam prunis ludere, diſce Pater.
Obſtupuit Genitor, mecumque ò, dixit, in ignes
 Tam claro Proles funere digna veni.
Mox hilares ambo flammis cecidere cremati,
 Et facis æternæ vidit vterque diem,
Ignibus impauidam condas hic Scæuola dextram,
 Fert tibi ſi pueros Indica terra pares.
Flamma tuæ quondam fuit vltima linea laudis:
 Iſta rudimentum ponit in igne manus.

Iuuenis aſpectu B. VIRGINIS *, à ſcelere deterritus.*

EPIGRAMMA LXXI.

INgreditur Iuuenis laſciua mente lupanar,
Vt falſo mellis nomine fella bibat.
Cum picta e tabula Genitricem fortè Tonantis.
In ſe flectentem lumina torua videt.
Horret, & obſcænas ex templo deſerit ædes,
Et fugit a picta Virgine vera Venus.
Viua oculis nam ſi fœdos pellebat Amores.
Amplius & Venerem nunc quoque picta fugat.

Diuo CHRISOSTOMO.

EPIGRAMMA LXXII.

PActoli quicumque cupit diteſcere arenis,
Aureaque Herculea carpere poma manu;
Hauriat ore meo currentia flumina; verè
Nam mihi de labris aurea vena fluit.

Dauid.

EPIGRAMMA LXXIII.

Pvrpuream clamydem, ſoliũ, mea ſceptra, coronã
Inſanus fœda labe notauit Amor.
Rex inuictus eram, turpis nunc dicor adulter,
Proditor innocui, cauſa & iniqua necis.
Sed tamen Omnipotens lapſum me ſurgere iuſſit,
Criminaque in gemitu merſa fuere meo. (tum,
Diſce hinc, quid lacrymæ poſſint, (Pactolus amã-
Vude prius nigrans, aurea culpa redit.

Salomon.

EPIGRAMMA LXXIV.

Templa Deo poſui ſtellantibus æmula tectis
Et mea conſimili fulſit honore domus.
Vna ſopitùs didici mihi nocte magiſtra,
Quod multi longa non potuere die.
Iura dedi populo tranquilla in pace potenti;
Quicquid habet tellus, hoc mihi cenſus erat.
Fœlix heù nimium; fœda ſi cuſpide tantùm
Nunquam fœmineus me tetigiſſet amor.
Tù fuge deforme hoc monſtrum, ſapientia cuius,
Stultitiæ cœco fœdere iuncta fuit.

Ioſue.

EPIGRAMMA LXXV.

NOn timui æternas Naturæ rumpere leges,
Et properum rapidi ſiſtere Solis iter;
Immotiſque leues horas ſuſpendere pennis,
Dum nox vmbrifera ſurgere tardat humo,
Nec quòd me Iericho timuit, Iordanis, & vnda,
Eſt mirum; ſi me noxque, dieſque timent.

Iudith Oloſernem inuaſura.

EPIGRAMMA LXXVI.

ASſyrium Iudith, hoſtem aggreſſura ſuperbum
Magnanimo tales protulit ore ſonos.
An ſim docta ſatis lethale infigere vulnus,
Seu iaculis formæ, ſeu magis enſe, cupis!
Noſces, cum gemino te vulnere fœmina vincam,
Ore prius roſeo, poſt, Oloferne, manu.
Nec, fuerit, ſciet Aſsyrius, nec fortis Idume,
An gladij, an vultus gloria prima mei.

B.Alon

B. ALOYSIVS *adhuc puer flagris in conclaui ſe cruentat.*

EPIGRAMMA LXXVII.

SAnguine virtuti pingis Gonzaga triumphos,
 Dum tua virgineum dextra flagellat ebur.
Picta cruore tuo vel ſunt tua membra tabella,
 Qua lacerum flagris exprimis arte Deum,
Seu dura in tenero deſcribis marmore virga,
 Quot puer innocuo ex hoſte trophæa rapis.

De S. SYMPHOROSA *capillis ſuſpenſa.*

EPIGRAMMA LXXVIII.

SYmphoroſa ſuis pendet librata capillis,
 Cuius par auro nulla ſtatera foret.
Vel cælum petit inſolito deuecta volatu,
 Nam noua ſuſpenſæ penna fuere comæ.
Aut quibus, appenſum fidei ſtat læta trophæum,
 Elati crines aurea reſtis erunt. (bus
Seu magis inuictā ſe mōſtrat; Leo quando ſuper-
 Fortior eſſe ſolet, cui iuba longa fluit.

Na-

Natalis dies S. IOANNIS BAPTISTÆ *ſolemni veterum Romanorum ritu per plura Epigrammata celebratus.*

Flores.

EPIGRAMMA LXXIX.

ACcipe odoratos pictæ telluris honores;
Magne Puer, violas, luteoloſque crocos:
Hos nitidos herbarum oculos, puroſque nitores
Accipe, & in nodum lilia iuncta roſis.
Te decet hoc munus: nam tu flos primus eremi:
Ver ſyluis referes: & nemus hortus erit.

Herbæ.

EPIGRAMMA LXXX.

VIcturum fama eſt Puerum ſilueſtribus herbis
Hoc decus hortenſis ſed tamen herba cupit;
Ergo ſparge ſolum tymbra, calthaque rubenti,
Lætaque ſerpillum ſpiret vbique domus.
Forſitan in cunis hoc molli captus odore,
Eliget hortenſi viuere fronde Puer.

At

At ſi vera monet primis vagitibus Infans,
Illi ſola dapes horrida ſylua feret.
Syluestres igitur timeas ne ſpargere frondes;
Quando etiam Puero ceu roſa dnmus erit.

Odores.

EPIGRAMMA LXXXI.

ADdite thura focis, & circumſpiret odorum
Fumida vis, merces diuitis Arabiæ.
Nam licet hic cælo roratos fundat odores,
Et tenera ſpargat myrrhea dona manu;
Ipſe tamen, quæ fert alijs, opobalſama quærit.
Atque eadem, quæ dat munera odora cupit.
Sed cupit, attrito ſtillant quæ balſama corde,
Et myrrham, ex oculis quæ lacrymata fluit.

Corollæ.

EPIGRAMMA LXXXII.

ACcipe fulgenti ſtellata hæc munera flore,
Liliaque in gyrum cana reuincta roſis.
Munera læta damus; victoris ſigna, corollas,
Pro rigido tenera victo Acheronte manu.

C Nam

Nam ſubitò vt primas hauſiſti luminis auras,
Nigra tuo cecidit robore victa phalanx.

Cantus.

EPIGRAMMA LXXXIII.

INcipe fœlices in gaudia ducere ſoles,
Gentis Idumeæ gloria prima Puer.
Et tibi quæ dulci modulatur carmina cantu
Romulidum pubes, commodus aure bibe.
Illa etenim variæ concordat munera vocis,
Soluit & in laudes ora canora tuas.
Scilicet, es totus tu vox; voci ergo quid vltrà
Reddere nunc fuerit par, niſi dulce melos?

Symphonia.

EPIGRAMMA LXXXIV.

DIſparibus modulata vijs diſcordia concors,
Fuſaque per varios aura ſonora tubos;
Et quæ dulcè ſonant citharæ vocalia fila;
Iunctaque Biſtoniæ barbitos vſque lyræ.
In numerum tibi mille ſonos, Puer inclyte fundũt,
Et mentem referunt, vt potuere, tuam.

Nam

Nam benè concordes puerili in pectore ſenſus,
Threiciæ ſuperant fila canora lyræ.

Tituli.

EPIGRAMMA LXXXV.

Qvæ vela in titulis pendent illuſa meandris,
Aureaque argenti bractea clara notis;
Interpuncta gerunt pueri ſimulacra decori,
Aſperat & flauus leniter ora nitor.
Sed modo, quos opifex vultus animauit in auro,
In matris melius ventre animauit Amor.

Crepundia.

EPIGRAMMA LXXXVI.

O Mihi qualis honos oculis, ò quantus oberrat,
Cum Puer hæc primùm luminis ora vides.
Sed tamē haud potis eſt animus tibi pignus Amo-
Reddere, Erythræo e marmore diuitias. (ris
Paruum ergo munus, tibi læta crepundia collo
Suſpendo, & magni pignus amoris erunt.
His nūc lude Puer, nam olim tibi carceris horror,
Et gladij, & capitis funera, luſus erunt.

Seruorum ornatus.

EPIGRAMMA LXXXVII.

VEſtibus induti pictis, & ſtamine ſerum
Circumſtant famuli tecta ſuperba domus:
Et matri expediunt celeres donaria Regum,
Et quæ nos puero munera læta damus.
At vos, ò famuli, veſtem remouete nitentem,
Namque pilis Puero non niſi texta placet.
Hac hoſtē in ſyluis quinquēnis ad arma laceſſet:
Lorica hæc etenim Tartara ſola domat.

Oblatio Carminum.

EPIGRAMMA LXXXVIII.

PAruule ſume libens dulci pro munere carmen,
Quod tibi Romulidum vaticinatur Amor.
Ac tua de cunis laudum præconia diſce;
Et ſit, noſſe tibi nænia, qualis eris.
Nam Puero vati debentur carmina vatum,
Cuius vel gemitus aurea ſæcla canunt.

So-

Soluti vincti.

EPIGRAMMA LXXXIX.

TE naſcẽte cadunt ſtrictis mihi vincula palmis,
Et datur antiquo ſoluere colla iugo.
Ergo tibi duris exutus brachia nodis,
Muneris hæc reddo ferrea vincla memor.
Sed meliora mihi, precor, ò da vincula Amoris,
Et mea dum tollis vincula, vincla feras.

Abacus cum ſuppellectile.

EPIGRAMMA XC.

ARtifici variata manu vaſa aurea, ſignis
Aſpera, quàm tremulo læta nitore canunt!
At nitidi argento diſci, qui luce laceſſunt
Ex abacis oculos, quàm lacrimanda monent?
Nam Pueri rutilans ſignat fata aſpera diſcus,
Quo feret abſciſſum fœda puella caput.
Hunc ergo remoue, temerat qui gaudia fletu,
Laſciuoſque Puer diſce timere pedes.

Agapæ.

EPIGRAMMA XCI.

Qvæ iuuenes plenis celebrant conuiuia menſis,
Atque hilares libant algida vina niue ;
Natales agitant pueri , dapibuſque paratis ,
Depromunt tacito gaudia clauſa ſinu .
Sed malè conueniunt tenero conuiuia Nato .
Qui lautos parco reſpuet ore cibos .
Quin benè conueniunt ; quando ieiunus in antris
Ambroſias alijs inſtruet ille dapes .

Lycni .

EPIGRAMMA XCII.

Aſpice, qui pendent Lychni laquearibus altis;
Ardenteſque vomunt luce micante faces .
Inſolito fulgent tenero ſplendore Puello ,
Illius & flammas luminis igne notant .
Nam calidos Puer hic toto feret orbe nitores ,
Et referet mundo clara lucerna diem .

Vnguenta.

EPIGRAMMA XCIII.

Fvndite odoratis vnguenta, éffundite conchis:
Et ſimulacra Patrum nardinus vngat onyx.
Scilicet illa monent venturi temporis aurum,
Cum dabis in populos aurea iura Puer.
His nam ſi Reges perfuſi ſceptra capeſſunt;
Hæc quoque Regna tibi, ſed meliora ferent.

De Sancto IOANNE BAPTISTA *Epigramma, quo breuiter omnia ſuperius explicata clauduntur.*

EPIGRAMMA XCIV.

IAm tibi limen agit vela interpuncta figuris;
Floribus, atque herbis compita læta pluunt.
Iam tibi purpureo ſerui famulantur amictu,
Integrat & numeros pollice pulſa fides.
Iam reſonant cantus, colliq. crepundia plaudunt,
Carminaque,& nardum, vincula, thura damus.

Iam menſæ inſtructæ ſplendent,& multa ſupellex,
Iam pendent lychni, iamque corolla nitet.
Sed quia noſtra tibi minus hæc sũt munera;cunas
Accipe, quæ placeant corda pudica magis.

Aliud.

EPIGRAMMA XCV.

Cvm dedit Eliſabe natum ſine labe ſub auras,
Ventre gerens aderat Virgo pudica Deum
Viſura adſtrictum genitali labe Puellum
Affluit e ſtygio turba inimica lacu:
Naſcentiſque petit reddi ſibi iura, ſed illi
Fœta Deo Virgo talia dicta dedit.
Eſte procul peſtes, Puero nam Diua tenello
Gratia, non ſolitis fulſit amica modis.
Et prius eſt cælo, terræ quam natus inerti,
Ante diem, æternum cœpit amare iubar.

Aliud.

EPIGRAMMA XCVI.

SI nitidos aperit rediuiuus lucifer ortus,
Egit vbi ad latebras aſtra coacta ſuas;
Ex-

Expectare licet puros ſine nube nitores,
Et rutilum Solis lucido ab axe iubar.
At Puer æthereis aperit cum ſydera ocellis,
Quam fortunatos nunciat ore dies?
Ne properes ergo, Titan, exurgere ab vndis;
Nam Puer hic, melior iam mihi Phæbus erit.

Aliud.

EPIGRAMMA XCVII.

SOlis ad aſpectum ceu Phœnix excipit ignes,
Linquere odorato dum cupit oſſa rogo;
Sic Puer æthereas excœpit corde fauillas,
Matris vt ex vtero ſenſit ad eſſe Deum.
O Phœnix nouus, ante obitum rediuiuus, & ortũ,
Qui bibis æterni Solis ab ore faces;
Naſcere iam fælix, & cæca matris ab aluo,
Diſce tuo æternos ducere in igne dies.

Aliud.

EPIGRAMMA XCVIII.

ARuerat folijs ſpoliata virentibus olim
Virgula, deciduis pallida facta comis:
Induit aſt iterum primos rediuiua nitores,
Et vernas florum prodiga iactat opes.
Scilicet Eliſabe, fuerat qua ſicca vigore
Regali ventris flore ſuperba viret.

Aliud.

EPIGRAMMA XCIX.

PLebs omnis pretioſa Deo colat otia, nullus
Iudice me feſſam ſollicitabit humum.
Otia pontus agat, tellus agat otia, cælum
Iam quoque (ſi fas eſt) otia læta colat.
Dulcia nam cunctis tremulo Puer otia cantu
Nunciat, atque auri tempora adeſſe monet.
O igitur Pueri fœlix vagitus amantis,
Tam bene quo gaudent æquora, terra, polus.

Aliud

Aliud.

EPIGRAMMA C.

NOn hic, quæ fœtus recipit Lucina cadentes?
  Non Puero nutrix Iuno ſuperba fauet.
Sydereis ſed Virgo Parens comitata miniſtris
  Aſſidet, & famulas admouet vſque manus.
Hinc tibi eo maiora cano natalia Pupe,
  Virgine, quò eſt humili, Iuno ſuperba minor.

Aliud.

EPIGRAMMA CI.

QViſquis Idumæas inuertis vomere glebas,
  Depoſito facinus vomere diſce nouum,
Exucco pendent trunco iam mitia poma;
  Et ſterilis niueo flore ſuperbit ager.
Nimirum Eliſabe ſenij iam damna rependit;
  Et potis eſt turpes prole abolere notas.
Nec mirere diu, tellus ſi plaudit, & æther:
  Splendidiùs cunctis vltima poma nitent.

Aliud.

EPIGRAMMA CII.

Qvalis de ſcopulo protendit brachia palma,
Spumea quam torui verberat vnda maris;
Talis de ſterili mellitus matre Puellus
Surgit, & imbelles tendit ad aſtra manus.
O ſterilis fœlix, nato iam clarior vno,
Quam fuerit toto quælibet Orbe parens.

Aliud.

EPIGRAMMA CIII.

VNdique lætitia polus emicat, vndique tellus
Ingeminat varium carmine læta ſonum.
Nimirum Pueri ſunt hic cunabula magni;
Currere qui flauo nunciat ære dies.
Sed quia non terras ſatis eſt geſtire, polumque;
Virginis ex vtero geſtiat ipſe Deus.

Aliud

Aliud.

EPIGRAMMA CIV.

FAma eſt, ætnæis flammam exundare cauernis,
Atque albere ſimul culmina celſa niue.
Infœcunda parens genialia pignora promit,
Pignora, quæ Solymæ gloria gentis erunt.
Nec mirum, niuibus flammæ quod fœdera ſeruẽt;
Aurea ſi ſterilis pignora venter habet.

De niuibus in Exquilijs.

EPIGRAMMA CV.

CAndida, quæ ſuperas candores Virgo, niuales,
Nix tibi de cælo templa operoſa notat.
Scilicet in terris tanto noua templa pudori
Qui poſſet candor pingere, nullus erat.
Qui cupit ergo tibi gratas attollere moles,
Virgineas ſummo deuocet axe niues;
Quas poſtquam in glaciem longus durauerit vſus,
Hac niue non vnquam tecta locata ruent.

Aliud.

Aliud.

EPIGRAMMA CVI.

Nix pluit ò Virgo, findit dum Syrius agros,
Lineat artifici quæ tibi templa manu.
Et bene Virgineo templum fundare pudori
Ignibus æſtiuis nix inimica venit.
Nam tu quàm fœdos horreſcis pectoris æſtus,
Debet ab hoc templo tam procul eſſe Venus.

Beata MARGARITA *Cortonenſis conſpecto iuuene occiſo quem deperibat vouet ſe Deo.*

EPIGRAMMA CVII.

Occidit hoſtili confoſſus vulnere Lynchus,
Qui turpis pulchræ Margaris ignis erat.
Hunc illa in fouea reſupinum cernit hianti
Rura petens, retegit dum caua buſta canis.
In marmor primum, tum verſa in flumen amarum,
Percuſſit pugnis pectora, voce polum;

At-

Atque ait infœlix noſtrorum hic finis amorũ eſt,
Inuentum vt perdam te quoq; Lynche ſimul?
Ne me igitur tecum perdam, mea corda Tonanti
Quæ tibi iam dederam nunc rea reddo libens.
Dixerat, & placuit ſacris ſe condere clauſtris,
Viuere vbi didicit morte docente Deo.
Sic tibi qui viuens inflixit Margari mortem;
Extincto vitam pulchrius ore dedit.

Philaredus poſtquam omnia ſua pauperibus dederat fit arator; ſed altero ætiam boue egenis dato ipſe cum boue ſibi reliquo iugum ſubit.

EPIGRAMMA CVIII.

Qvidquid habet diues donat Philaredus egenis,
Donec egens tardos increpat ipſe boues.
Dein quoque de binis vnum dat ſponte iuuencis,
Et ſua ſubmittit pro boue colla iugo.
Bos fortis, te reſpiciat ſatiatus aratro,
Si leue quis Chriſti perneget eſſe iugum.

Aliud

Aliud.

EPIGRAMMA CIX.

CHriſti factus egens opulento e diuite, aratro
Exercet patriam dum Philaredus humum;
E geminis vltro taurum largitur egenti,
Et ſua prò tauro vomere colla premit.
Aſt hic proſcindit qui talibus arua iuuencis,
O quali in cælo meſſe beatus erit!

S. ELISABET *Regis Vngariæ filia cuidam Virgini comam pulcherrimam ex improuiſo ſecat.*

EPIGRAMMA CX.

VIrgo erat auratis nimium formoſa capillis,
Lambebat niueas cui coma criſpa genas.
Hanc vbi conſpexit proles clariſſima Regum
Eliſabe, Vngarici gloria prima ſoli;

Cur-

Currit in amplexus, ſpecioſaq; fulmina, cyrrhos,
Dum læua innectit, dextera prompta ſecat.
Illa videns cecidiſſe ſuæ ſpolia aurea frontis,
Mille dedit moeſtos ore gemente ſonos,
Tandem poſt gemitus, melior ſibi reddita dixit,
O valeant crines, pendula tela, mei.
Credula corda olim multa his periere ſagittis,
Nunc bene fracta ſolo, tela doloſa iacent.
Nam Sampſon imbellis erat ſi crine receiſo;
Pugnabo abſciſſis fortior ipſa comis.

Sponſus ſæpe noctu ſurgit Beatam VIRGINEM *veneraturus. Sponſa dubitans, ne alterius ſequatur amores ſe ipſam interficit. Sed vitæ redditur eiuſdem* VIRGINIS *ope.*

EPIGRAMMA CXI.

Cvm ſpōſo iacet in thalamo noua nupta iugali,
Hæc dormit, caſtum deſerit ille torum.
Ille pio ſurgit Mariæ ſtimulatus amore;
Riualem hæc lecto ſœpe relicta, timet.
Pur-

Furtiuos igitur ſtratis dum corripit artus,
Sponſa Viri retinet brachia nexa manu,
Atq. ait, impatiens cordis ſimulare dolorem;
Cuius amor ſomnos excutit vſque tuos?
Ille refert; vrit nimium me blanda puella;
Qua nulla in Terris pulchrior ore nitet.
Brachia tum vinclis ſoluens ad Virginis aras
Euolat, & Dominam ſupplice voce rogat.
Spreta puella gemit, carumque exoſa cubile
Infert ipſa ſibi corde furente manus.
Mox iuuenis rediens fœdatum ſanguine lectum
Horret, & vxoris fata gemenda ſuæ.
Quid faceret? repetit celeri pede Virginis ædem,
Et pro tam miſero funere poſcit opem.
Hicet exangues informat Spiritus artus,
Signa, nec inſani vulneris vlla manent.
Mutua nunc teſtis memoret quis gaudia veſtra,
Quos nouus è cœlo fortius arctat Hymen.
Tu Sponſa æternū referes hoc ſanguine in æuum
Æmula quo mentem vis in amore trahat.
Tu Sponſe Euridicem, cœleſti munere ab Orco
Orphea non fictum te reuocaſſe canas.

S. Igna-

S. IGNATIVS LOYOLA *Cum paupere Veſtes mutat.*

EPIGRAMMA CXII.

Dvm veſtes Loyola ſuas cum paupere mutat,
Sol tenebras, & nox induit atra diem.
Fœlices ambo; ſed quam fœlicior eſt Sol,
Veſte nigra obductus qui magis ore nitet?
Nimirum Phœbi rutilum, qui deſpicit aurum,
Sole ſub hoc fuſco tegmina quærit Amor.

Idem Argumentum.

EPIGRAMMA CXIII.

SOepe ſub aptatis miles fallacibus armis
Quos virtute nequit vincere, fraude poteſt.
Vt ſtygio referat Loyola ex hoſte triumphum,
Trita ſub tunica quærit egenus opem.
Quē faſtu tumidus Princeps dnm ſpernit Auerni,
Ecce pia ſpreti pauperis arte cadit.

S. Fran-

S. FRANCISCVS XAVERIVS *portat humeris Indum.*

EPIGRAMMA CXIV.

FErt humeris Indum Franciſcus,pōdus amatū;
India, cui leuior ſarcina tota foret.
Ignibus Anchiſem ſubduxit Troicus Heros,
Illi cum dorſum ſuppoſuiſſe ferunt.
Auroræ populos hic Indo vectat in vno,
Quos Erebi flammis eripuiſſe iuuat.

STEPHANO *Vngariæ Regi eleemoſinam largienti, canam e mento barbam pauperes vellunt.*

EPIGRAMMA CXV.

QVam multis barbam potius crinemq. reuellet
Qui petit, vt numos promat auara manus.
At dum confertis aurum Rex donat egenis
Barbam illi potuit carpere turba procax.

Rex

Rex inquit ridens, ſpargit qui prodigus aurum
Cur neget argentum, quo ſua barba nitet?

Famula, cui nomen, Queneda, vt fugientem è carcere Mariam Scotiæ Reginam ſequatur, e feneſtra ſe proijcit in lacum.

EPIGRAMMA CXVI.

IAm fugit è turri Regina, coercita vinclis,
Et puer accelerat per vada lintre viam.
Cum Famula impatiens, ſpecula ſe proripit alta,
Et ſecat audaci ſtagna, benigna manu.
Reginam tremulum pro ſceptro impellere remū,
Leuinus ſtupido ſuſpicit ore lacus.
Sed mage Quenedam mirata eſt vnda natantem,
Dum rapitur Dominæ naufraga, amore ſuæ.

Ma-

Maria Scotiæ Regina ab Eliſabetta Angliæ Regina capite plectitur.

EPIGRAMMA CXVII.

SOrs Regum infelix, quorum crudelia fata
 Flere ſatis tragico carmine nemo poteſt.
Tu Maria heu teſtis Regum miſerabilis vxor,
 Sed viduata viris, quam miſeranda magis?
Scotia cui Regnum, Sponſum, cui Gallia Regem,
 Anglia, ſanguineum, cui diadema dedit.
Scilicet elapſis bis denis carceris annis,
 Fœmineo tandem victa furore cadis.
Sacri facta trucis lacrimabilis ipſa Sacerdos,
 Ipſa tibi Templum, victima, & ara ſimul.
Vt referat ſolos fama execrata Britannos
 Enſe coronatum poſſe ſecare caput.

Eu-

Eutropiæ pulchritudini Carnifex parcit; Ipſa parcentem ſtimulat, & bis icta moritur.

EPIGRAMMA CXVIII.

RHemésẽ Eutropiã capitis ferus Attila dãnat
 Eutropiam Stellis ore nitente parem
Sed tam formoſo perculſus lumine lictor
 Non audet contra Sydera ferre manum.
Ipſa manum ſtimulat, ferrumq. in vulnera poſcit
 Atquè ait; ah noceat ne mihi forma precor.
Si tibi ſum Sydus, debentur ſydera Cœlo
 Me me igitur Stellis munere redde tuo.
Dixerat: ille vocat, poſita pietate, rigorem,
 Bisque reluctanti vulnere colla ſecat
Ilicet Eutropiæ repetenti a funere olympum
 Aſtra nouum pandunt ambitioſa locum
Pulchrior an fuerit, ſeu forti pectore maior?
 Par an vtroquè? Polo iudice pendet adhuc.

Dimp-

Dimpna à patre Rege Hybernorum propter pudicitiam Antuerpiæ occiſa.

EPIGRAMMA CXIX.

PRolis amore ſuæ cæcus Rex ardet Hybernus;
Flectere, ſed Dimpnam non valet vllus amor.
Rex illibatum thalamum, ſanctumque pudorem
Inuadit, magnum ſed fugit illa nefas.
Ter Pater inſequitur natam; ter nata recuſat;
Donec inhumani concidit enſe Patris.
O nimium miſerande parens, cui fœda libido
Cor Patris eripiens, corda ferina dedit.
Carmina Virgineo vos Belgæ inſcribite Saxo,
Quæ decora æternum non reticenda canant.
Dimpna triumphali iacet, hìc mactata pudori,
Rex Pater eſt lictor, cauſa furoris Amor.

Vir-

Virgo in Lupanari mutans cum iuuene veſtes, ſeruat pudicitiam, ſed poſtea cum eodem moritur.

EPIGRAMMA CXX.

Cauſa pudica gemit turpi ſub fornice Virgo
 Tradita laſciuis mox violanda viris
Cum Iuuenis fortis nimium, nimiumque pudicus,
 Irrumpit caſto tecta nefanda pede.
Expallet trepidat, refugit, lacrimiſque decoris
 Munit purpureas mœſta puella genas
Viue tui, miles dixit, ſecura pudoris
 Nam tuus intactus flos erit arte mea.
Mutemus veſtes, ſumes tu militis arma,
 Meq. puellaris candida palla teget,
nceſſus tu finge meos, vultuſq. feroces,
 Et celerem tetro à carcere carpe fugam.
Vix ea, fœmineas cum vir, mulierq. viriles
 Induit, & gratos compoſuere dolos.
Attamen egregia iuuenis mox fraude reperta,
 Iuſſere immeritum fata cruenta pati.
Fama volat, præcepſq. ruens non falſa puella,
 Virgine proſicta poſtulat ipſa mori.
Deniq. poſt longum caſti certamen amoris,
 Virgineum ferro ſubdit vterq; caput.

Sors veſtra ò fœlix, quos vltima fata maritant,
Læta quibus, thalamum ſydera in axe, parant:
Pronubus eſt vobis fortunatiſſimus error,
Aurea ſol veſtis, Dos opulenta Deus.

Puer cereus in Præſepe igne fortuito liqueſcit.

EPIGRAMMA CXXI.

Qui iacet artis opus ficto Bethlemis in antro
Soluitur ex templo cereus igne Puer.
An quæ flamma intus, puerum depaſcit amantem,
Illa foris pariter membra tenella liquat?
Scilicet eſt fœlix puero fatum ignibus vri,
Cui dat amor, naſci, viuere, & igne mori.

Auis docta proferre nomen Mariæ.

EPIGRAMMA CXXII.

ERudit argutam Virgo ingenioſa, volucrem
Mellito Mariam ſœpe vocare ſono.

Sed

Sed reditura volat patula, dum fortè feneſtra
Milui curuatis vnguibus arripitur.
Illa tremens Mariam, Mariam vocat ore gementi,
At miſer hoc ictus nomine miluus abit,
Libera auis repetit celeri ſua tecta volatu
Virgineumq. ſubit vix benè tuta ſinum.
Imploret Mariam, ſtygios, qui ſuſtinet vngues,
Scilicet hæc illis nomina fulmen erunt.

S. ROMVALDI *Scala*.

EPIGRAMMA CXXIII.

DE Terra hærentem ſcalam miratur Olympo,
Prole Camaldulea clarus in orbe Parens.
Hac aliqui ſcandunt reſerati ad limina cœli,
Hac reliqui in niueis veſtibus ima petunt.
Fortunate ſenex, ſuperum cui templa pateſcunt.
Cui Deus his gradibus mollit in aſtra viam.
Conſcendant alij flammanti ſydera curru.
Scala tibi Currus, nec minor ignis Amor.

De B. PETRO DAMIANI *ſcribente vitam S.* ROMVALDI.

EPIGRAMMA CXXIV.

GLoria purpurei Petrus veneranda Senatus
Quẽ ſacra tẽpla colũt,quẽ ſophos omnis amat
Dum Romuualdi memorat pia geſta Parentis,
Fit Genitus Magno non genitore minor:
Nam quod carta refert calamo ſignata fideli,
Imprimit in docili corde Magiſter amor.
Ergo quis à nato valeat dignoſcere Patrem,
Inclyta ſi virtus par vtriusque fuit?

Mater lac ſubtrahit Petro Damiani infanti, Pellex cogit illam vt reddat.

EPIGRAMMA CXXV.

LAc negat in cunis Petro nimis effera Mater,
Se noſcens multa prole grauare Domum.

In-

Increpat aſt illam pellex, cogitque ſeueris,
Vocibus, Infanti reddere lactis opem.
O pietas, ò Matris amor, non pellice dignus,
O nato peior pellice facta parens.
Si lupa deſertos aluit pro Matre gemellos,
Sanguine, qui Romæ mœnia prima locant.
Hæc lupa, quam melius reddit ſua viſcera Matri,
Siccaq. materno rore labella rigat.
Sed tu magne Puer crudeles ſperne papillas.
Mox tibi lacte, nemus, ſydera, & antra fluent.

Ad S. CATHERINAM *Virg. & Mart. poſt multos Philoſophos deuictos, & igni pro* CHRISTO *traditos.*

EPIGRAMMA CXXVI.

Fulminat omnipotens ſtellata ex arce Gigantes
Impia, quod tentent bella mouere polo
Artibus inſignes multis, & mente ſuperbos
Deijcis innumeros tu Catharina ſophos.
Et profligatos tam doctæ fulmine linguæ
Præcipites victrix ore tonante fugas.
Pugnauere tamen fatis contraria fata,
Clauſeruntq. ſuum diſpare ſorte diem;

Illi fulmineo cecidere in Tartara lapſu:
Hi fortunatis ignibus aſtra petunt.

Claudus, & Virgo muta a Sancto MENNA *mira arte ſanantur.*

EPIGRAMMA CXXVII.

FErt vbi de Cœlo Mennas medicamina morbis
Adſtabat gemino qui pede claudus erat.
Hic tandem feſſus longam ſperare ſalutem,
Non ſemel in ſuperos, impia verba iacit.
Ter Mennas illum terret de nocte, ter inquit,
Virginis i velox, i pete claude, torum.
Caſta erat hæc nimium, ſed māca, & muta puella,
Auxilium a Menna quæ ſine voce rogat.
Ter ſtupet ille prius, dein tertia iuſſa capeſſit,
Atque illibatum nocte cubile ſubit.
Ilicet exclamat Virgo iam voce ſoluta,
Quiſquis ades caſtum linque ſceleſte torum.
Exilit & claudus planta ſolidatus vtraque,
Et tacite fugiens ad loca nota redit.
Diuorum ingenium reliqui mirantur, & arte
Sanandi miſeros obſtupuere noua.
Nimirum Mennæ ſunt tot miracula luſus,
Seria ſed multis ſit iocus iſte ſalus.

San-

Sanctus PAVLINVS, *vt Viduæ filium liberet fit ſponte captiuus.*

EPIGRAMMA CXXVIII.

VT viduæ natum ſeruili compede ſoluat
Barbara Paulinus vincula ſponte ſubit;
Bisq., catenatis nodis, & Amore, reuinctus;
Mente pia liber deſuper aſtra volat.
Voce valet Chriſtus viduæ reuocare parentis
Cara nimis fati pignora rapta manu.
Hic moritur, Matri, vt reddat ſua gaudia; quando
Seruitium; ſæpe eſt, ſed ſine morte mori.

Martyris Corpus in mare proie-ctum Delphin ad littus re-uehit, & moritur.

EPIGRAMMA CXXIX.

MArtyris exuuiæ, ſæuo mandante Tyranno
In Pelagi tumidas præcipitantur aquas.
Excipit aſt illas dorſo Delphinus amico,
Et pius ad littus per freta longa vehit.
Quas feſſus poſtquam tutæ commiſit arenæ
Occubuit; cum plus viuere dignus erat.
O fœlix Vector, cui non cytharœdus Arion,
Sed Chriſti Martyr ſarcina grata fuit.
O vtinam viuas, cœli ſuper additus aſtris,
Sitque pius Delphin, ſydus in axe nouum.

Vir

Vir pius clauſa cinctus catena clauem iacit in mare: qua deinde in ventre piſcis reperta, catenam ſoluit.

EPIGRAMMA CXXX.

VIr ſibi ferro artus cingit,duramque catenam
  Claudit, dein clauem proicit in pelagus.
Sed piſce inſueto, dum caſu ueſcitur, ecce
  Squamoſo, clauis ventre reuecta redit.
Hac lacerum Corpus ferrato carcere ſoluit;
  Et ſibi placatum iam putat eſſe Deum.
Non huic tu Gælum piſcator Petre recludes,
  Claue, ſed hac piſcis Ianitor axis erit.

In Aſſumptione B. M. V.

EPIGRAMMA CXXXI.

TErra roſam, gemmã, ſidus tranſmittit Olympo,
Inſuetoque nouas lumine fundit opes.
Eſt roſa nam Virgo, gemma eſt ſidusq. coruſcum,
Quæ petit æthereos, pulchrior ipſa, ſinus.
Gemma nitet, ſidus fulget, roſa ſuaue rubeſcit,
Cuncta hæc, ſed Virgo iungere ſola valet.
Vos igitur ſtellæ veteres deponite faſtus,
Tale poteſt cælo ſi dare terra decus.

MO-

MORALIVM

LIBER SECVNDVS.

Corallia.

EPIGRAMMA I.

QVAE tibi de collo rubicunda corallia pendent;
Dic, precor, è labris num cecidere tuis?
Vel tua qui roſei pingebant ora colores,
Tot ſimul in baccas an coiere rubras?
Scilicet, hoc poſtquam cinxit tibi colla monile;
Ora verecundæ deſeruere roſæ.
Sed malè purpureo vultus viduatur honore;
Ornet vt inſolitus candida colla color.
Virgine, ſi neſcis, nulla eſt formoſior illa;
Cui non colla rubor, ſed notat ora pudor.

Inaures.

EPIGRAMMA II.

Avribus, ingentes fruſtra ſuſpendis elenchos,
Quos parit Eoi lucida concha maris.
Nam tibi vicinæ perdunt ſua lumina gemmæ,
Et timet ipſa tuas bacca Erythrea genas,
At, ſi forte placet vultus ornare lapillis,
Queis cedant iſtæ, quas geris ore, niues;
Gemmea decurrant lacrymarum pondera ocellis,
Quæ nitet his facies nam placet vna Deo.

Mater, vt liberet à carcere filium, Puerum IESVM, *raptum parenti Virgini, claudit in arca.*

EPIGRAMMA III.

Dvm gemit occluſum tenebroſo in carcere natū,
Ebria pænè graui facta dolore parens;
Virginis è gremio tollit furibunda Puellum,
Innocuo furto, ſeu pietate nocens,

Ere-

Ereptumque ſimul ferrata claudit in arca,
Reddantur donec viſcera vulſa ſibi.
Ilicet ætherei Genitrix placidiſſima Nati,
Captiui iuuenis ferrea vincla ſecat.
Atque illum matri reddit: tum læſa repoſcit,
Dulcia de gremio pignora rapta ſuo.
Nec mora: lacteolus, Virgo dum plaudit, Ieſus
Maternis iterum pendet ab vberibus.
O fœlix furtum, & prolis iactura beata:
Tam fuit egregia ſi redimenda vice.

Cor cryſtallinum pudiciſſimæ Virgini donum.

EPIGRAMMA IV.

Svme libens, Eurilla, precor, cryſtallina corda:
Concreta hic etenim non rigèt vnda gelu.
Durities ſed firma fidem, candorque pudorem,
Queis tua collucent gemmea corda, notant.
Dumque auidis oculis cryſtalla nitentia cernis;
Diſce tui ſtabiles cordis amare niues.
Nam, ceu vera minùs fragili ſtat gloria vitro;
Sic quoque Virginitas non niſi firma placet.

De

De Aegle, arte Phrygia inſigni.

EPIGRAMMA V.

PIngit acu violas, violis formoſior Aegle,
Et violis Phrygia iungit ab arte roſas.
Quin tenui in tela ver immortale colorat,
Et viuas niueo pollice fingit aues.
Et quidquid ſolers gignit natura caducum,
Hæc arte æternum nobiliore facit.
Cui ſimilis quondam ſi Lyda fuiſſet Arachne,
Ipſa magiſterio victa Minerua foret.

Eques Hieroſolymitanus caſu Romæ duro pane peremptus.

EPIGRAMMA VI.

DVm gemini coeunt in vulnera ſæua coloni,
Vni ſicca Ceres obuia fortè fuit.
Hanc rapit, & toto niſu contorquet in hoſtem,
Ictum ſed volucri præterit ille gradu.
Illic

Illic pugnam aderat miles riſurus agreſtem,
Magnus auis, Melitæ ſed cruce maior auis.
Huic ſorte infauſta panis caua tempora pulſat,
Et non morte ſua concidit immeritus.
O noua res, nunquam ſæclis audita vetuſtis!
Quo debent homines viuere, pane mori.

Præclara nauis tacta fulmine mergitur: ſed quidam in ea dormiens ad littus peruenit illæſus.

EPIGRAMMA VII.

Avrea dum puppis tumidi maris æquora verrit,
De Cælo ardenti fulmine tacta perit,
Et iam turba cadens ſpumoſis mergitur vndis,
Iratoque mari corpora multa natant.
Illic ſorte aderat vir ſomno immerſus inerti;
Cui fortunatus lectus erat tabula.
Hac mare per rapidum vehitur, ſomnoque fideli
Oppreſſus, tandem littora tuta tenet.
Euigilat, vitamque videt ſe munere ſomni
Accepiſſe inter fulmina,& inter aquas.
Somnus, ait fœlix, vitæ non mortis imago,
Quo melius nemo iam vigil eſſe poteſt!

Ergo

Ergo ſi ſomnus fulmen, pelaguſque verentur,
Cùm tonat, aut ſtrident æquora, ſomne veni

Formoſa Virgo, dum fratrem fugit, qui eam deperibat; deſilit in mare, quod illi ſolidum præbens iter, ſeruat illæſam.

EPIGRAMMA VIII.

INſanos fugeret Virgo dum fratris amores,
Proiecta in pontum ſcrupea ſaxa videt.
Subſiſtit; fratriſque dolos hinc horret, & inde
Immanes fluctus, & freta vaſta timet.
Tandem fraternos euitatura furores;
Me, precor, intactam ſuſcipe marmor, ait.
Tum ſe præcipitem ſaltu demittit, & vnda
Suſtinet audaces conglaciata pedes.
Illa fugam ſequitur, curritq. per æquora, donec
Ignotis plantas appulit vnda vadis.
Tunc oculos voluens, niuei ſecura pudoris,
Quæ referam, dixit, nunc tibi dona, Thetis?
Vt caſtos ſeruent poſt hac mea corda nitores.
Sola mei cuſtos vnda pudoris eris.
Tam benè Virgineum, nam ſi tutaris honorem,
Quàm malè iam de te fingitur orta Venus!

Virgo Thebana, à milite violata, illum dormientem & ſe ipſam interimit.

EPIGRAMMA IX.

DVm gemit ereptum Virgo Thebana pudorem
Sopitum iugulat vindice morte procum.
Tum ſibi læta manus ipſa ſe fortior infert,
Gaudet & amiſſa virginitate mori.
Scilicet haud Virgo potis eſt ſine flore pudoris
Viuere, nam vita eſt Virginis ipſe pudor.

Catella ſequax.

EPIGRAMMA X.

PHyllidis in gremio ludit feſtiua catella;
Et teneras lambit pectoris ore niues.

In,

Inde lenes implet tremulis latratibus auras,
Se dominæ gremium deſeruiſſe gemens.
Tum pedibus nunquam laſſis comitatur euntem,
Qua ſine nec paruam duceret illa moram.
Sed nimiùm tu ingrata fugis te Philli ſequentem,
Per iuga, per ſaltus, per nemora alta Deum.
Quod citò ni libeat greſſus reuocare fugaces;
Damnabit mores iſta catella tuos.

Corona florea.

EPIGRAMMA XI.

Cvr Phyllis formoſa comam tot floribus ornas,
Cùm nitidis niteas floribus ipſa magis?
Si neſcis, nil fronte iuuat geſtare corollam,
Et rigidos medio in pectore ferre rubos,
Nimirum, vario ſpargis dum flore capillum,
In tenero ſpinas corde miſella feris.
Quod ſi fortè cupis tutum decus addere formæ;
Flores corda gerant, ſpinea ſerta comæ.

Ca-

Capella ſeruata ab hædo.

EPIGRAMMA XII.

Alba capella cubat patulæ ſub tegmine quercus
Vbera cui ſæuo vipera dente petit.
Cum tener ecce venit ſolitũ vt lac ſugeret hædus,
Et cum lacte ſimul nigra venena bibit.
Ilicet inſpirat mortem per viſcera virus,
Et ne cara parens occidat, ipſe cadit.
Sic vitam acceptam matri benè reddit, & illi
Sat vixiſſe fuit, pro genitrice mori.

Monialis.

EPIGRAMMA XIII.

Abſcindis nitido flauos dum vertice crines,
Fulgida de cælo ſtella comata cadit.
Et tibi dum roſeum nubunt velamina vultum,
Obſcura Solem cernere nube vetant.
Et quæ fœlici te carcere cella recondit,
Concha tegit rubri lucida dona maris.

Viue

Viue beata tamen, mille auerſata maritos,
Nan Virgo in terris eſt benè nupta Deo,

Deucalion, & Perſeus.

EPIGRAMMA XIV.

SAxea Deucalion terris dum ſemina mandat,
Mollia de ſaxis ſurgere membra iubet.
At contra Perſeus, vibrat dum Gorgonis ora,
In lapides molles cogit abire viros.
Tu quem nunc dices meliori viuere ſorte?
Scilicet hic homines perdit, at ille facit:
Ille viros ſceleri exponit, ſed ſubtrahit iſte:
Ille malis homines objicit, iſte rapit,
Sed quis, ne ſubeat tam multa pericula vitæ,
Non cuperet potius Gorgonis eſſe lapis?

Thyrſis, lugens Abſolonis mortem, ſibi comam tondet.

EPIGRAMMA XV.

INfœlix iuuenis, flaui cui frontis honores,
Fallaceſque comæ cauſa fuere necis,
Ille quot hac tenuit cirrata caſſide corda?
At nunc in laqueos vertitur iſta ſuos.
Si facit hæc aurum dum lactea colla flagellat,
Quiſque ſuæ timeat gaudia criſpa comæ.
O igitur valeas auri mea pendula meſſis.
Quando es tam rigida falce ſecanda ſeges.

Virgo Mantuana ruit in Mincium, vt ſeruet pudicitiam.

EPIGRAMMA XVI.

CVruato ſub ponte, gemens vbi Mincius errat,
Incidit in fœdum Virgo pudica procum.
Ili-

Ilicet hic furijs, & amoris percitus œſtro,
Explicat amplexus, collaque amata petit.
Illa tremit, ſuffuſa genas pallore, fugitque:
Sed benè quà fugiat, iam via nulla patet;
Virgo qua niueum tutabitur arte pudorem,
Nunc prece, nunc rigidis Virgo petita minis?
Continuò poſitura ruit ſub gurgite vitam,
Alta pudicitiam condat vt vrna ſuam.
Atq.inquit tellus ſi me nequit arcta tueri,
Lata magis puro me tegat vnda ſinu.
Et benè tuta iacet lymphis demerſa canoris;
Hinc nouus emerget, nam rediuiuus olor.

Virgo, inſignis forma, & pudicitia, in mari ſubmerſa.

EPIGRAMMA XVII.

EN ſinus immitis pelagi, quo merſa puella,
Tàm forma inſignis, quàm benè caſta, iacet.
An quia bina Venus, ſpumoſis altera naſci,
Debuit ex vndis, altera rapta mori?
Aequoris vt maculas Virgo memoranda pudore
Eluat occumbens, quas tulit orta Venus.

Aliud

Aliud.

EPIGRAMMA XVIII.

INſidi en ſcopuli, veſani en littora ponti,
Merſa vbi pulchra nimis, Virgo pudica iacet.
An quia par oculis Phæbo; tumulanda ſepulcro
Illa erat vndoſo non niſi Phæbe tuo?
Diſpare ſed fato: nam tu rediuiuus ab vndis
Surgis, at hæc pelago non reditura manet.
Sed benè: nam ſtellis Sol eſſet credita ab ipſis,
Hoc vno abſimilis ni tibi Phæbe foret.

Mulier pro ceruò canem comedit.

EPIGRAMMA XIX.

DVm fumat dapibus ſaliaris cœna paratis;
Pro ceruo carnes appoſuere canis.
Veſcitur his mulier, conditæ neſcia fraudis,
Et ſapida doctum laudat ab arte coquum.

Aſt

Aſt vbi deceptam ſe nouit, viſcera dixit;
Heu mihi iam lacerant ore furente canes.
Tum ſubitò reuocat cœnam de ventre caninam;
Sed vomit & vitam, dum vomit illa nimis.
Non rabido viuus potuiſſet dente moloſſus,
Coctus vt hanc potuit dilaniare canis.
Nimirùm non ſæpè nocet tàm vipera morſu,
Quàm ſibi quod fingit mens agitata malum.

Genuæ Vxor viri veſtibus induta illum quæſitum à ſatellitibus ſeruat.

EPIGRAMMA XX.

VT carum ſeruet coniux dilecta maritum,
Cui multus tendit vincla ſatelles, ait:
Ah liceàt mihi membra tuo prætendere amictu,
Et ferro inſuetum molle grauare latus
Hac ego mentita referam te veſte, nec vllus
Agnoſcet vultus nocte fauente meos.
Dumq. per iſtantes curram furibunda cohortes,
Ipſe tibi poteris conſuluiſſe fuga.
Dixerat, & veſtes mutat, dein limina rumpit,
Inſequiturque hoſtis quam putat eſſe virum.

Sed

Sed fugit interea per proxima tecta maritus;
Et capta tandem coniuge, liber abit.
Fœmina tunc riſit: miles deluſus & ipſe
Riſit, & in lepidum cuncta abiere iocum.
Fœmineum poſt hac timidum quis credat amorē?
Fortior eſt multis fœmina fida viris.
Nemo igitur fictas mihi iactet Amazonas; illas
Verè etenim fortis Ianua ſola parit.

Floreum donum.

EPIGRAMMA XXI.

Flora tibi niueis animaſſe coloribus ora
Dicitur, & labris appoſuiſſe roſas;
Tunc primùm te naſcentem cùm matris ab aluo
Excepit, molli detinuitque ſinu.
In te igitur nunc illa ſuos mirata nitores,
Hæc tibi dat niueis munera digna genis.
Tu tamen hoc taciti floris candore loquaci,
Labentes oris temnere diſce niues.
Candida nix etenim Phœbo exoriente liqueſcit,
Hæc fugiet vultus ſole cadente tui.

Idem Argumentum.

EPIGRAMMA XXII.

HOs cape ſidereos terræ vernantis honores,
Quos, Lucille, tibi mittit amica manus.
Et tua formoſis agnoſce in floribus ora:
Aſt animum niueo in munere cerne meum.
Nam veluti hos florũ ſuperat tua forma nitores;
Sic ſunt corda mihi candida flore magis.
Pandere tres igitur candorẽ hoc munere certant:
Flos proprium, ora tuum, corda pudica meum.

Terribilis moloſſus.

EPIGRAMMA XXIII.

Qvis pater huic rabido nimiũ vaſtoq. moloſſo?
Syrius, an potiùs Cerberus ipſe fuit?
Scilicet haud ſimiles extrema Britannia gignit,
Aut innisa feris Corſica mater alit.

Ille

Ille etenim horribiles inuadit ſæpè leones,
Nec timet armatos ſternere dente viros. (nũ,
Quin haud hoc vigili Alcides penetraſſet Auer-
Tuta per æthereos nec foret *Vrſa* polos.

Cæcum amorem damnat, ex eo præſertim; quòd amoris zelo, frater fratri oculos eruerit.

EPIGRAMMA XXIV.

Nullus inexpertus cæco confidat Amori,
Ni cupit æterna perdere nocte diem.
Nimirùm cæcus cæcos ſibi iungit amantes,
Immitique oculos eruit ipſe manu.
Teſtis cui frater nitidos effodit ocellos,
Queis dominæ poterat iam placuiſſe ſuæ.
Cæcus qui rapuit: cæcus cui lumina rapta:
Sic vtrique oculos cæcus ademit amor.

In placidiſſimam amici ſui mortem.

EPIGRAMMA XXV.

NOctem oculis linquis, mæſto ſuſpiria cordi,
  Dum moriens à me, dulcis amice, fugis;
Sed quia tam placido, quōdā mors horrida, vultu
  Occupat ora tibi, mors placet ipſa mihi.
Ergo, qui horreſcis diræ vel nomina mortis,
  Hùc ades, & miti hoc funere diſce mori.
Forſitan occiduo tam læti in lumine vultus,
  Ipſum vel poteris funus amare tuum.

Vt Virgo amaſium fugiat inſequentem, ſe celat in ſepulcro.

EPIGRAMMA XXVI.

VT Virgo inceſtos iuuenis deuitet amores,
  Se tumulo condit, viuere digna polo.

Tu-

Tuque, ait, obſcuræ ſedes mihi lucida mortis?
  Fida meæ cuſtos Virginitatis eris.
Hic licet à turpi defendere morte pudorem,
  Nam timet hæc mortis limina fœda Venus:
Theſaurus pudor eſt, fuluo pretioſior auro.
  Ergo amat ò latebras terra benigna tuas.
Nix eſt Virginitas, Cælo male tuta patenti;
  Hanc igitur ſeruet frigida terra ſinu,
Et mihi ſi roſeo flagrat Sol igneus ore,
  Ne noceat radijs, occidat hoc tumulo.

Nouus annus.

EPIGRAMMA XXVII.

IAm nouus è tumulo rediuiuus naſcitur annus;
  Iuncta etenim cunis ille ſepulcra tenet.
Occidit, atque oritur vitali funere, & heres
  Ipſe ſibi eſt certus, dum fugit atq. redit.
At ſibi quas vitæ reparat; mihi ſubtrahit horas;
  Quodque ſibi adiungit, detrahit ille mihi.
Quòd ſi illo veniente perit mihi vita; quis ergo
  Non illo timeat iam fugiente mori?

Puellæ in limum lapſæ inſignis verecundia.

EPIGRAMMA XXVIII.

LAbitur in limum formoſa puella tenacem,
Rure ferens domino mitia poma ſuo.
Accurrit iuuenis, palmamq. extendit,& inquit,
Sordibus in medijs non benè gemma latet.
Illa tamen pudibunda manus exoſa viriles,
Hoc, ait, in cœno me iacuiſſe placet.
Fœdior eſt caſtæ labes nam nulla puellæ;
Quàm ſe hominis tactu vel maculare leui.
Tum ſola exiliens, quã turpis veſte lutoſa,
Tam pulchra eſt niueo pectore viſa mihi.
Iam quærant alij gemmas in litore rubro,
Hanc me vnam in limo ſit reperiſſe ſatis.

Fra-

Fractam ad Anienem vrnam puella gemit.

EPIGRAMMA XXIX.

Vrnam nympha gerés, qua nulla eſt pulchrior, (ibat
  Tybur vbi præceps, ò Aniene, rigas.
Dicere cui poteras: hæc, vt mare plena leporũ eſt:
  Sed mare tot decorũ cur modò quærit aquas ?
Fictilis in ſaxum cum fortè illiditur vrna,
  Cogitur & niueas linquere fracta manus:
Illa gemit, flumenque audit, ſed gurgite ab imo
  Irridet lacrymas, ſtulta puella, tuas.
Et meritò: nam multa gemis dum frangitur vrna;
  Sciſſa nec illacrymas corda quòd ipſa feras.
Scilicet errantes oculi, crineſque volantes,
  Corda tibi in partes diſſiluiſſe monent.
Amphora, rupta ſemel, nulla eſt reparabilis arte,
  Sed lacerum gemitus cor ſolidare poteſt.

Flabellum.

EPIGRAMMA XXX.

HAud æſtus, Lucilla, iuuat lenire flabello;
  Et nunquam extincto corda cremare rogo;
Inuitare leues pennis motantibus auras,
  Grandior vt plenis follibus ignis eat.
Tum varias torto plumas ſuſpendere ab auro,
  Vt tibi cor ſeruum fulua catena liget.
Sit nix alba manus, ſint viua corallia labra:
  Sydera ſint oculi, ſint roſa verna genæ:
Sed tamen in medio fœdas tibi pectore flammas,
  Idalia cæcus ventilat arte puer.
Ergo ſiſte, precor, ventos agitare flabello,
  Quò melius flamen corda calore leuet.
Nam ſacra diuini ſpirabilis aura Fauoni,
  Odit, quam penna verſicolore cies.

Auis ludicra fugiens.

EPIGRAMMA XXXI.

Qvàm benè ludit auis, laqueo deuinctá tenaci,
Quē manibus nectis Cynthia pulchra tuis!
Nunc tremulos variat cantus : nunc ſpiritus ore
Subſiſtit : longas nunc ciet arte fugas.
Nunc volat,& reuolat,curſus init,atq. recurſus,
Plaudit, & in palmæ carcere læta tuæ.
Aſt, incauta manum dum laxas, labitur illa,
Et fugit, ad ſolitum non reditura ſinum.
Ilicet ipſa gemens pulſas plangoribus auras,
Sed lacrymis illam nil reuocaſſe iuuat.
Siſte igitur gemitus: &,dum per inane volantem,
Plus tua,quàm luces, corda ſequuntur auem;
Diſce,precor,laqueos nectit quos blāda voluptas;
Rumpere, & alata tendere in aſtra fuga.

Anguis domeſtica perimit natam, quæ infantem, hoſpitis ſui filium, necauerat.

EPIGRAMMA XXXII.

Dvxerat innocuam ſub tecta domeſtica vitam
  Anguis, diſſimili pignore facta parens.
Hæc, vicina petit notæ dum paſcua ſiluæ:
  In cunis puerum filia ſæua necat.
Illa redit, plenaſq. audit clamoribus ædes;
  Aſpicit & natæ facta nefanda ſuæ.
Quid faceret? caput hinc tollens, horreſcit iniquũ
  Crimen: & hinc prolis pectora tangit amor.
Immeriti donec mortem execrata puelli,
  Indignam prolem diſſecat ore ſuo.
Tum caros gemina pollutos cæde penates
  Deſerit, & triſtis teſqua per atra fugit.
Tu videas, vllus fuerit num gratior hoſpes,
  Aut cum prole ſua iuſtior vlla parens.

Ab-

Abſalon moriens loquitur.

EPIGRAMMA XXXIII.

CÆſaries fallax, frontis mea gaudia quondam,
Et vos flauentis fila doloſa comæ.
*V*os ego dum caſſes, & cordis retia credo,
Iam laqueos cerno funeris eſſe mei.
Et meritò! nam qui tenuit tot corda capillis,
Nunc cadere in caſſes debuit ipſe ſuos.

Aureus torquis & armillæ.

EPIGRAMMA XXXIV.

QVid iuuat auratis innectere colla catenis,
Fuluaq. candenti vincula ferre manu?
Si tibi, dum palmas, & lactea pectora cingunt,
Peiori forſan compede corda ligant.
Philli ſoluta manus tua ſit, ſint libera colla,
Et tam formoſum nil malè condat ebur.

Vincula ſi quæris, ſunt aurea vincula Amoris;
Sed quæ diuinus vincula nectit Amor.
Hùc citò tu palmas, niueumq. huc inſere collum;
Corda etenim ſoluent, dum tibi colla ligant,

Virgo ſpinis puncta.

EPIGRAMMA XXXV.

Qvæ tibi ſanguineum ſugit ſpina aſpera rorem,
Dum pungit niueas inſidioſa manus.
Illa ebur Aſſyrium, Serrano pingit ab oſtro,
Aut roſei violat roris honore niues.
Tu tamen intereà, lacrymis ſuffuſa decoris,
Effundis mœſtos ore gemente ſonos.
Sed fuge iam gemitus: caſtos nam ſpina pudores
Virginis in gremio, dum ferit, illa fouet.

Ad

Ad Virginem, quæ munus eburneum offert.

EPIGRAMMA XXXVI.

MOlle ebur, an viuens nix eſt tã cãdida dextra
Arte laboratum quæ mihi donat ebur?
Illa ebori an puro candorem adiungit? an illi
Natiuum cedunt munera eburna decus?
Incerta hæc nimiùm; ſed tu, candore magiſtro,
Incipe Virgineas cordis amare niues.
Atq. ebur vt ſempre tineas excludit inertes;
Tù niuea turpes reijce mente iocos.

Puer à matre è periculo mortis, aſpectu vberum, ereptus.

EPIGRAMMA XXXVII.

DVm genitrix flores carpit, puer inſcius errat,
Donec rupe ſtetit pendulus aeria.
Illa oculos voluens natum iam pænè cadentem
Cernit, at ipſa priùs victa dolore cadit.

Nam

Nam quid poſſit opis,ſeu vox,ſeu reddere curſus
Neſcit, & in lapidem iam propè verſa riget.
Prolis amore ſuæ donec ſtimulante ſagaci,
Exerit illacrymans vbera plena ſinu.
Infantemque vocat nutu, monſtratque papillas,
Cùm puer obrepens vbera amata petit.
Sic nato dat vitam iterùm: ſed dulcius illum
Seruaſſe vberibus, quàm peperiſſe, fuit.

De ruina grandinis, verno tempore.

EPIGRAMMA XXXVIII.

CErnis, vt è triſti cælo cadat horrida grando,
Demetat & Bacchi ſaxeus imber opes?
Agricola vt raptos tenerâ de vite racemos,
Et vina in primo flore reciſa gemat?
Vt fragiles culmos meſſis vicina recuruet,
Et de iecta ſolo langueat alma Ceres?
At tu ſiſte, precor, ſæuos Pater optime, nimbos,
Et duram noſtro diſcute ab axe niuem,
Quòd ſi fortè meum ſaxo cor durius, iſta
Aethere ab irato ſaxea tela vocat;
Tu mihi pro diris, da mellea nubila Cæli,
Et tibi pro duris, cerea corda feram.

At

Ad Mopſum iuuenem, vt fugiat voluptates.

EPIGRAMMA XXXIX.

HEu fugite, ô iuuenes, Veneris lethalia mella,
Falſaque Circæa pocula miſta manu.
Nec vos mentitis meretrix Babylonia ſuccis
Fallat, ſit crater gemmeus ipſe licèt,
Et quamuis veſtras vrat ſitis arida fauces,
Tantaleam extinguent flumina nulla ſitim;
Hos igitur formoſe, precor, fuge Mopſe liquores:
Nec bibe, ne ſitias: qui bibit, ille ſitit.

Tityrus ſonat, & canit ſuauiſſimè, ſed non benè audit.

EPIGRAMMA XL.

VOcales audis vt pulſet pollice chordas
Tityrus, & dulces fundat ab ore ſonos?
Intenti vt volucres taceant, vt ſibila frondes
Siſtant, vt currens murmura frenet aqua?

Quin

Quin dubitare licet, fuerit num pulchrior illo;
Phæbus, & an meliùs ſollicitarit ebur.
Attamen, o mirum vita tàm diſſonat ille;
Quàm benè concordant fila canora lyræ.
Linque igitur dulces cantus citharamq. loquentē,
Ni mores virtus temperet antè tuos.
Nam citharæ & vocis parilis concordia nulla eſt,
Diſſona cùm turpi murmure vita ſonat.

Senex currit ad laqueum, ſed alius illo ſe ſuſpendit.

EPIGRAMMA XLI.

Dvm cubat vmbroſæ iuuènis ſub tegmine quer-(cus,
Illi fortè auro plena crumena cadit.
Ilicet ecce ſenex, non parui debitor æris,
Qui cupit extremum claudere fune diem.
Hic, ſibi dum laqueum decreta in funera nectit;
Pondera fulua videt, ſurripit, atq. fugit.
Nec vitam voluiſſe pudet ſuſpendere trunco,
Nec malè obæratum ſæpè fuiſſe doler.
Interea amiſſam quærens redit ille crumenam:
Et non iuuenta, pectore & ore furit.
Sed, laqueum aſpiciens fatali ſorte relictum;
Pro ſene de quercu pendulus occubuit.
Sic variat fortuna vices: & quam parat vni,
Sæpiùs hanc alij deſtinat illa crucem.

Ege-

Egena Virgo, ne vendat pudicitiam, reciſam ſibi comam vendit, & magnum pro ea pretium recipit.

EPIGRAMMA XLII.

PArthenope formoſa fuit, ſed egena puella,
  Quam cupit eſuriens proſtituiſſe parens.
Vendere at illa negat niueum pro pane pudorem,
  Et tamen exanimat iam propè vtramq. fames.
Huic natura caput criſpo ditauerat auro,
  Nam coma fulua, auri lucida meſſis, erat.
Hanc ſecat ipſa ſibi, fertq. imperterrita matri:
  Et, ſatis hoc auro panis ematur, ait.
Horruit at genitrix, cernens ſine crine cometam,
  Nam nouus auulſo crine cometa fuit.
Tum, cogente fame, dilectæ frontis honores
  Vendit: & hos notæ vir pietatis emit.
Sed pretio ingenti; quo multis *Virgo* puellis
  Dat clauſa ſecum *Virginitate* frui.
Ergo crinitum portendat funera ſidus,
  Nam vitam hoc multis, ſed ſine crine, dedit.

Vir-

Virgo carne marcida collo alligata pudorem tuetur.

EPIGRAMMA XLIII.

VT niueum Virgo tutetur ab hoſte pudorem,
Carne ſibi putri lactea colla ligat.
Hoſtis adeſt, cordi flammam ſubdente Diona;
Sed ſubitò tetro pulſus odore fugit,
Sic putrem Venerem merita putredine vincit,
Sic Stygios vermes vermibus illa domat.

Itala Virgo extincto carbone faciem ſibi denigrat, vt impurum iuuenis ignem extinguat.

EPIGRAMMA XLIV.

INficere eſt error vultus, Lucinda, nitentes,
Vt fugiat nigras Cypria flamma genas.
An

An neſcis, flammis cognatos eſſe nigrores,
  Carbonemq. igni pabula ſufficere?
Non ne vides Phæbum maculoſo fundere ab ore
  Lumina, nec tactum labe nitere minùs?
Cynthia quin maculis ſignata nitentibus, orbem
  Circuit, & cunctis ſuſpicienda micat.
Ergo Phœbeis oculis ſuperindue noctem,
  Si cupis ardentes occuluiſſe faces.
Sed leuis hic nigror forſan tibi condidit ora:
  Mirum diuini nam fuit ignis opus.

Idem argumentum.

EPIGRAMMA XLV.

MEllitos Lulcinda dolos vt vitet Amantis,
  Obſcurat roſeas labe nigrante genas.
Sed magis ardentes velatus nube calores
  Sol iacit, & media ſidera nocte micant.
Nam quis formoſas nigras neget eſſe puellas,
  Et furuos ignem ſemper amare focos?
Quòd ſi pulchra minùs, quia nigra videberis vlli:
  Abſq. vmbris forſan pingere doctus erit.
Perge tamen, Lucinda, tuo nigreſcere ab igne,
  Quo tibi ſat nunquam corda pudica calent.
Et qui te poſthac vultu conſpexerit atro,
  Cæleſtis dicat, quam benè pingit Amor!

Clep-

Flabellum.

EPIGRAMMA XXX

HAud æſtus, Lucilla, iuuat lenire flabe
Et nunquam extincto corda cremare
Inuitare leues pennis motantibus auras,
Grandior vt plenis follibus ignis eat.
Tum varias torto plumas ſuſpendere ab a
Vt tibi cor ferrum fulua catena liget.
Sit nix alba manus, ſint viua corallia la
Sydera ſint oculi, ſint roſa verna genæ
Sed tamen in medio fœdas tibi pectore fl
Idalia cæcus ventilat arte puer.
Ergo ſiſte, precor, ventos agitare flabello
Quò melius flamen corda calore leuet.
Nam ſacra diuini ſpirabilis aura Fauoni,
Odit, quam penna verſicolore cies.

deſtinat omnes,
trahunt.
ne mortem,
vocat:
fuit alter,
r, antè mori,
furorem,
ſuas.
ps Barbara iuſſa
ſui.
dicur alter:
e polum.
morte redemit;
us erat.

m:

XLVIII.

cuſtode dracone,
habere ſuam.
is amoris,
virum.
c, Eudoxia dicat,
niſſe vacat.
Sed

Vincula ſi quæris, ſunt aurea vincula Amoris;
Sed quæ diuinus vincula nectit Amor.
Hùc citò tu palmas, niueumq. huc inſere collum:
Corda etenim ſoluent, dum tibi colla ligant,

Virgo ſpinis puncta.

EPIGRAMMA XXXV.

Qvæ tibi ſanguineum ſugit ſpina aſpera rorem;
Dum pungit niueas inſidioſa manus.
Illa ebur Aſſyrium, Serrano pingit ab oſtro,
Aut roſei violat roris honore niues.
Tu tamen intereà, lacrymis ſuffuſa decoris,
Effundis mœſtos ore gemente ſonos.
Sed fuge iam gemitus: caſtos nam ſpina pudores
Virginis in gremio, dum ferit, illa fouet.

Ad Virginem, quæ munus eburneum offert.

EPIGRAMMA XXXVI.

MOlle ebur, an viuens nix eſt tã cãdida dextra
Arte laboratum quæ mihi donat ebur?
Illa ebori an puro candorem adiungit? an illi
Natiuum cedunt munera eburna decus?
Incerta hæc nimiùm; ſed tu, candore magiſtro,
Incipe Virgineas cordis amare niues.
Atq. ebur vt ſempre tineas excludit inertes;
Tù niuea turpes reijce mente iocos.

Puer à matre è periculo mortis, aſpectu vberum, ereptus.

EPIGRAMMA XXXVII.

DVm genitrix flores carpit, puer inſcius errat,
Donec rupe ſtetit pendulus aeria.
Illa oculos voluens natum iam pænè cadentem
Cernit, at ipſa priùs victa dolore cadit.

Nam

Nam quid poſſit opis,ſeu vox,ſeu reddere curſus
  Neſcit, & in lapidem iam propè verſa riget.
Prolis amore ſuæ donec ſtimulante ſagaci,
  Exerit illacrymans vbera plena ſinu.
Infantemque vocat nutu, monſtratque papillas,
  Cùm puer obrepens vbera amata petit.
Sic nato dat vitam iterùm: ſed dulcius illum
  Seruaſſe vberibus, quàm peperiſſe, fuit.

De ruina grandinis, verno tempore.

EPIGRAMMA XXXVIII.

CErnis, vt è triſti cælo cadat horrida grando,
  Demetat & Bacchi ſaxeus imber opes?
Agricola vt raptos tenera de vite racemos,
  Et vina in primo flore reciſa gemat?
Vt fragiles culmos meſſis vicina recuruet,
  Et deiecta ſolo langueat alma Ceres?
At tu ſiſte, precor, ſæuos Pater optime, nimbos,
  Et duram noſtro diſcute ab axe niuem,
Quòd ſi fortè meum ſaxo cor durius, iſta
  Aethere ab irato ſaxea tela vocat;
Tu mihi pro diris, da mellea nubila Cæli,
  Et ſibi pro duris, cerea corda feram.

Ad Mopſum iuuenem, vt fugiat voluptates.

EPIGRAMMA XXXIX.

HEu fugite, ò iuuenes, Veneris lethalia mella,
  Falſaque Circæa pocula miſta manu.
Nec vos mentitis meretrix Babylonia ſuccis
  Fallat, ſit crater gemmeus ipſe licèt,
Et quamuis veſtras vrat ſitis arida fauces,
  Tantaleam extinguent flumina nulla ſitim;
Hos igitur formoſe, precor, fuge Mopſe liquores:
  Nec bibe, ne ſitias: qui bibit, ille ſitit.

Tityrus ſonat, & canit ſuauiſſimè, ſed non benè audit.

EPIGRAMMA XL.

VOcales audis vt pulſet pollice chordas
  Tityrus, & dulces fundat ab ore ſonos:
Intenti vt volucres taceant, vt ſibila frondes
  Siſtant, vt currens murmura frenet aqua?

Quin

Quin dubitare licet, fuerit num pulchrior illo,
Phæbus, & an meliùs ſollicitarit ebur.
Attamen, o mirum vita tàm diſſonat ille;
Quàm benè concordant fila canora lyræ.
Linque igitur dulces cantus citharamq. loquentẽ,
Ni mores virtus temperet antè tuos.
Nam citharæ & vocis parilis concordia nulla eſt,
Diſſona cùm turpi murmure vita ſonat.

Senex currit ad laqueum, ſed alius illo ſe ſuſpendit.

EPIGRAMMA XLI.

DVm cubat vmbroſæ iuuẽnis ſub tegmine quer-(cus,
Illi fortè auro plena crumena cadit.
Ilicet ecce ſenex, non parui debitor æris,
Qui cupit extremum claudere fune diem.
Hic, ſibi dum laqueum decreta in funera nectit;
Pondera fulua videt, ſurripit, atq. fugit.
Nec vitam voluiſſe pudet ſuſpendere trunco,
Nec malè obæratum ſæpè fuiſſe doler.
Interea amiſſam quærens redit ille crumenam:
Et non iuuenta, pectore & ore furit.
Sed, laqueum aſpiciens fatali ſorte relictum;
Pro ſene de quercu pendulus occubuit.
Sic variat fortuna vices: & quam parat vni,
Sæpiùs hanc alij deſtinat illa crucem.

Ege-

Egena Virgo, ne vendat pudicitiam, reciſam ſibi comam vendit, & magnum pro ea pretium recipit.

EPIGRAMMA XLII.

PArthenope formoſa fuit, ſed egena puella,
Quam cupit eſuriens proſtituiſſe parens.
Vendere at illa negat niueum pro pane pudorem,
Et tamen exanimat iam propè vtramq. fames.
Huic natura caput criſpo ditauerat auro,
Nam coma fulua, auri lucida meſſis, erat.
Hanc ſecat ipſa ſibi, fertq. imperterrita matri:
Et, ſatis hoc auro panis ematur, ait.
Horruit at genitrix, cernens ſine crine cometam,
Nam nouus auulſo crine cometa fuit.
Tum, cogente fame, dilectæ frontis honores
Vendit: & hos notæ vir pietatis emit.
Sed pretio ingenti; quo multis Virgo puellis
Dat clauſa ſecum Virginitate frui.
Ergo crinitum portendat funera ſidus,
Nam vitam hoc multis, ſed ſine crine, dedit.

Vir-

Virgo carne marcida collo alligata pudorem tuetur.

EPIGRAMMA XLIII.

VT niueum Virgo tutetur ab hoſte pudorem,
Carne ſibi putri lactea colla ligat.
Hoſtis adeſt, cordi flammam ſubdente Diona;
Sed ſubitò tetro pulſus odore fugit,
Sic putrem Venerem merita putredine vincit,
Sic Stygios vermes vermibus illa domat.

Itala Virgo extincto carbone faciem ſibi denigrat, vt impurum iuuenis ignem extinguat.

EPIGRAMMA XLIV.

INficere eſt error vultus, Lucinda, nitentes,
Vt fugiat nigras Cypria flamma genas.
An

An neſcis, flammis cognatos eſſe nigrores,
  Carbonemq. igni pabula ſufficere?
Non ne vides Phæbum maculoſo fundere ab ore
  Lumina, nec tactum labe nitere minùs?
Cynthia quin maculis ſignata nitentibus, orbem
  Circuit, & cunctis ſuſpicienda micat.
Ergo Phœbeis oculis ſuperindue noctem,
  Si cupis ardentes occuluiſſe faces.
Sed leuis hic nigror forſan tibi condidit ora:
  Mirum diuini nam fuit ignis opus.

Idem argumentum.

EPIGRAMMA XLV.

MEllitos Lulcinda dolos vt vitet Amantis,
  Obſcurat roſeas labe nigrante genas.
Sed magis ardentes velatus nube calores
  Sol iacit, & media ſidera nocte micant.
Nam quis formoſas nigras neget eſſe puellas,
  Et furuos ignem ſemper amare focos?
Quòd ſi pulchra minùs, quia nigra videberis vlli:
  Abſq. vmbris forſan pingere doctus erit.
Perge tamen, Lucinda, tuo nigreſcere ab igne,
  Quo tibi ſat nunquam corda pudica calent.
Et qui te poſthac vultu conſpexerit atro,
  Cæleſtis dicat, quam benè pingit Amor!

Clepſydra.

EPIGRAMMA XLVI.

Quæ clauſa in vitreo decurrit carcere arena,
Damnata anguſtas ire redire vias;
Illa refert noſtram labentem in funera vitam,
Quæ tamen, heu, præceps non reditura cadit.
At, ſi poſt mortem ſimili ſtet puluis in vrna;
Defluus alternum currere diſcet iter.
Sic vitam, quam nemo poteſt reparare cadentem;
Ipſe ſibi hoc vitreo reddet in orbe cinis.

Aegyptius (ſeu Zingàrus) ſponte pro ſocio moritur, vt ille ſe interim ad patibulum religiosè diſponat.

EPIGRAMMA XLVII.

Quos dedit Italiæ fures Aegyptia tellus,
E manibus quorum fœmina multa canit.
Hos

Hos laqueo Princeps temulẽtus deſtinat omnes,
Et primum vinclis ad ſua fata trahunt.
Iſte ſubire negat diram ſine crimine mortem,
Ei deſperata mente Acheronta vocat:
Tunc illa de gente pius ſponte affuit alter,
Atque ait: ô liceat me, precor, antè mori,
Interea hic triſti deponet corde furorem,
Et reteget culpas ore gemente ſuas.
Dixerat, & moritur: cum Princeps Barbara iuſſa
Erroris reuocat conſcius ipſe ſui.
Alter abit liber, tumulo ſed conditur alter:
Ille diem recipit, ſed tenet iſte polum.
Nimirum, ſocium pulchra quòd morte redemit;
Cui cedat Pollux ſidera, dignus erat.

Eudoxiæ Pomum.

EPIGRAMMA XLVIII.

POmum erat, Heſperio dignũ cuſtode dracone,
Quod iubet vxorem Cæſar habere ſuam.
Illa dat hoc niuei Paulino pignus amoris,
Cœpit at hinc zelus dilaniare virum.
Dein mala quæ peperit pomũ hoc, Eudoxia dicat,
Namq. mihi Iliadam non ceciniſſe vacat.

Sed

Sed fuerit forſan zelantis Cæſaris error;
Qui ſine peruigili poma dracone dedit.
Tu tamen, heu, poteras meminiſſe, Eudoxia, pomũ
Diſſociare odijs tres valuiſſe Deas.

Eudoxiæ Pomum.

EPIGRAMMA XLIX.

ACcipit eximium Coniux à Cæſare pomum,
Cui ſimile haud vllum Dorica terra tulit.
Hoc illa innocuo malè prouida donat amico,
Vnde viro zelans cor ſtimulauit amor.
Sed tibi quàm triſtis ſeges hinc, Eudoxia, creuit?
Quot tibi de malo proſiluere mala?
An fuit hoc primæ pomum fatale Parenti,
Quo ſimul infœlix veſcitur & moritur?
Quin illo eſt peius: nam quod non veſceris iſto,
Cauſa tibi fermè mortis iniqua fuit.

Mi-

Mirum Diuinæ Prouidentiæ factum erga paganam, ſed miſericordem mulierem Alexandrinam.

EPIGRAMMA L.

Triſtia decoctor laqueo ſibi colla reuinxit,
Infamem certus fune ſubire necem.
Cum pia, formoſas inter pulcherima, Virgo
Affuit, & collo vincula nexa rapit.
Dein miſero propriam largo dat munere dotem,
Ipſa ſed æris inops fit miſeranda magis.
Quid faciat vel panis egens malè cauta puella?
Facta eſt de niuea Virgine fœda lupa.
Membra illi donec multo poſt tempore morbus
Occupat, & ſuperos iam moritura vocat.
Ac petit illacrymans perfundi flumine ſacro,
Expers nam Chriſti Relligionis erat.
Hanc viuo ſed fonte negat luſtrare Saeerdos,
Nam timet in veterem ne cadat vſque luem.
Tunc, iuuenes ſeni, vultuq. habituque decori;
Aduenere tibi lucido ab axe vades.
Nam, quia tu miſero ſteteras velut ales ab alto;
Eſt meritò Aligerum nūc tibi prompta manus.
Tu quibus o fidis nimiùm ſponſoribus vſa,
Luſtrali ſubitò crimina tergis aqua.

Maior

Maior at ex oculis, quàm vertice depluit vnda,
Qua ſimul ingenti merſa dolore peris.
Sic tandem, pro dote leui, dotaris Olympo:
Et gemino viuis fontes renata Deo.

In Virginem, quæ ſibi faciem pinxerat purpuriſſo.

EPIGRAMMA LI.

PIngere Virgineos mentito ſanguine vultus,
Turpe eſt, & roſeas fingere ab arte genas.
Nam color hic teneras caſto de corde puellas,
Signa pudicitiæ pænè fugaſſe docet.
Si tamen ora placent molli ſuffuſa rubore:
Quem roſa vix orta è ceſpite mane refert;
Alba verecundus meliùs rubor ora coloret,
Et tibi concedent florea regna roſæ.

Au-

Auceps.

EPIGRAMMA LII.

QVam teneras mihi captat aues formoſus Iolas,
Dum ſe illudentes noctua ridet aues!
Siue galeritas in campis fallit alaudas,
Seu mage ficedulis retia lenta parat.
In laqueos nam ſpōte cadunt, pedicaſq.requirūt,
Illius & geſtit quæque ſubire dolos.
Sed caueat iam quiſq. ſibi, nam blanda voluptas,
Sic quoque nos tecta fallere fraude ſolet.

Florentiæ leo furens arreptum puerum deſerit, clamante matre.

EPIGRAMMA LIII.

E Cauea fugit ore fremens leo percitus ira;
Qua viret in Tuſco florea terra ſolo.

Arrectaque iuba dum funera ſæua minatur ,
  In media puerum comprimit vngue via :
Ilicet occurrit genitrix oblita pericli ,
  Horribilique gemens ſidera voce ferit .
Reſtitit ore leo , magnis clamoribus ictus ;
  Deſerit hinc puerum,mater & inde rapit.
Nec mirere, auido prædam ſi dente reliquit:
  Victa eſt materna nam pietate fera .

Diruta terræ motu Antiochia, reperta eſt mulier mortua lactans infantem viuum .

EPIGRAMMA LIV.

Cvm cecidit magno terræ concuſſa fragore ;
  Clara per Argolicas Antiochia plagas :
Inuenta eſt genitrix præbens lac mortua nato ,
  Qui de materno funere viuus erat .
O mirum ! Solymæa parens crudelior vrſo ;
  Ne pereat , nati membra tenella vorat :
Hæc perit , vt ſugat maternos filius annos .
  Illa feris peior , mater at iſta fuit .

Spar-

Spartanus miles, reuocatus à tuba, relinquit hoſtem, quem premebat innoxium.

EPIGRAMMA LV.

SPartanus bello victor iam ſtrauerat hoſtes;
Cùm tuba victores ad ſua caſtra vocat.
Paret, & vltrices extemplo ſubtrahit iras,
Ac penè infixo liberat enſe caput.
Sed vitam donaſſe fuit ſic pulchriùs vni,
Quàm gladio innumeros exanimaſſe ſuo.

Mulier ſuper extinctum iuuenem ſe interimit.

EPIGRAMMA LVI.

INſano mulier iuuenis flagrabat amore;
Quà Siculis ardens ignibus Aetna furit:
Quem tandem medico de vulnere fortè recentem,
Optato potuit continuiſſe ſinu.

Sed, dùm languentes illi ſopor occupat artus,
Labens cum venæ ſanguine vita fugit.
Aſpicit, horreſcit, lacrymatur fœmina caſum,
At voces mœſto pectore claudit honor.
Tunc cito conſilium læna præbente fideli,
Linquitur in media corpus inane via.
Manè ſed elatum, media iacet æde propinqua,
Mox illud tumuli donec arena tegat.
Cùm ſubito inferijs moritura interuenit illa,
Figit & in gelidis oſcula mille genis.
Dein ſuper, heu, carum furijs agitata cadauer,
Enſe ſibi accito funere, ſponte cadit.
O magis immitis Thisbis lacrymabile funus,
Intulit immeritas, quæ ſibi ſola manus!
Sed tu te miſeram perdis, tu perdis amicum:
Thisbe igitur perimis ſæuior vna duos.

Idem argumentum.

EPIGRAMMA LVII.

FOemina amat iuuenem, quo tãdẽ fortè potita,
Huic medico è venæ vulnere vita fluit.
Effertur, paruaque iacet tumulandus in æde,
Victa dolore graui cùm venit illa gemens.
Ac ſuper exanimem ſeſe confodit, amantem
Sicanijs Thisbe plus lacrymanda iugis.

Nam

Nam quæ vibrat amor geminata cuſpide tela,
Explent alterna non niſi morte ſitim.
Hæc tamen ignarus tu ſpicula dulcia credes,
Quæ ſemper duplici perlita felle madent?

Spinarum faſcem puella gerens:

EPIGRAMMA LVIII.

SPinoſo ſub faſce petit ſua tecta Lycoris,
Et nitet in medijs vt roſa nata rubis,
An quia vult ſpinas vltrici plectere flamma
Diſſecuere olim quòd tibi, Chriſte, caput?
An facit hoc amor, vt pūgẽs quoq. ſpina Lycorini,
Ferre iterùm diſcat ſanguine tincta roſas?
Sic reor, æthereum nam ſola coronat amorem,
Quæ roſa de ſpinis orta cruore rubet.

Ad Virginem, quæ plorabat amiſſam margaritam annulo incluſam.

EPIGRAMMA LIX.

Cvr liquidas oculis gemmas Lucretia, fundis,
  Dum fugit è digitis bacca Erythrea tuis?
An ſperas gemmis gemmam reuocare fugacem,
  Et magno has lacrymas reddere pro pretio?
Sed malè tot gemmæ gemmã ſoluuntur ob vnam,
  Et languent oculi fulgeat vt digitus.
Nimirùm lapides vincunt tua lumina Eoos,
  Et pretium eſt lacrymis non adamante minus.
Si tamen exoptas niueum reparare lapillum,
  Virgineus melior ſit tibi gemma pudor.

San-

Santaſpis exemplo, qui mari Crucem prætulit, à nauigatione deterret.

EPIGRAMMA LX.

QVi cupit infido vitam committere ponto,
Si ſapit, hos verſus perlegat antè meos.
Vir fuit in tota Santaſpes Perſide clarus,
Quem ſcelus, aut Regis deſtinat ira cruci.
Hunc genitrix Regis, nato crudelior ipſo,
Liberat, hinc medijs viuat vt exul aquis.
Littus arat rubrum, Pharias dein luſtrat arenas,
Infames ſcopulos & freta vaſta ſecat.
Suſtinet irati veſana pericula ponti:
Quotq. videt fluctus, tot videt ore neces.
Exclamat tandem, quæſo me reddite morti:
Hæc, precor, optatæ reddite membra cruci.
Dulciùs eſt vno vitam finire dolore;
Quàm toties viſa morte timere mori.
Quis mare non ergo fugiat, ſi mitius illo
Eſt, duræ mortem ſuſtinuiſſe crucis?

Effuſæ comæ ſiccantur ad Solem.

EPIGRAMMA LXI.

ET merito crinale ſuum caput explicat aurum,
Vt ſiccent vdas Phœbus & aura comas.
Scilicet his mœſto lacrymarũ in flumine, amantũ
Corda, tibi ſolitus fallere ludus erat.
Nec minùs ad Solem piſcator retia pandit,
Cùm pelago captis piſcibus illa trahit:
Sed modo quàm meliùs flauos laniata capillos,
Ante Deum ſtares crimina lapſa gemens!
Ille etenim lacrymis ad te reuocatus amaris;
Tam pulchræ fieret præda opulenta comæ.

Cantrix.

EPIGRAMMA LXII.

IN te qui luces, Chloris pulcherrima, figit
Solem miratur ſurgere ab ore tuo.

Et

Et nitidum tremulis dum cantibus aera mulces;
S irenum voces pendulus aure bibit.
Qui te Phœbeam Sirenem dixerit, ergo
Ille tuos vultus exprimet, ille ſonos.
Sed cupidos caueas hoc lædere lumine ocellos,
Neue vlli Siren inſidioſa canas.
Quin etiã meminiſſe iuuet, quòd plurima forſan
Ni caneret, laqueo non caperetur auis.

Iuuenis ab inhoneſto amore reſipiſcens.

EPIGRAMMA LXIII.

ARſiſti, & ſenſim depaſta eſt flamma medullas,
Ac pænè in cineres corda abiere leues;
Fleuiſti, & gemitus rupere ſilentia noctis,
Nam timuit ſæpè in lumine flere pudor;
Sed tandem ardendi flendiq. hic terminus eſto:
Tuque anime, exequias diſce timere tuas.
Neue iterum tibi fata ferant duo ſidera frontis;
Sidera ſint clypeus lucidiora poli.

Candor in ore, torpor in moribus.

EPIGRAMMA LXIV.

DE niuibus furtũ eſt,niueo qui corpore candor
Fulget, & in molli plurimus ore nitet.
Sed qui candorem niuibus ſine frigore credit
Surripuiſſe; rudis deſipit ille nimis.
Nil mirere igitur, tibi ſi præcordia cingunt
Frigora, & in tenero pectore ſæuit hiems.
Scilicet albentes niuibus tua membra colores,
Dum raperent; ſocium corda bibere gelu.

Optat quis ſocium diſcedentem ſequi.

EPIGRAMMA LXV.

VIdi ego frondoſo labentem vertice riuum;
Præcipiti ſecum voluere ſaxa fuga.

Qui

Qui mihi te ſubitò retulit; lacrymaſq. cadentes,
  Ore meas, lymphis miſcuit ille ſuis.
Nam, ceu ſpumanti, nitet ille argenteus vnda;
  Sic tua forma nitet: ceu fugit ille, fugis.
Sed iam ſiſte fugam, vel me tecum abripe, ſaxo:
  Sim licet informi vilior vſque tibi.
Nam qui fons vitrea currit, pulcherrimus vnda
  Ille etiam ſecum vilia ſaxa trahit.

Horologium ſolare dum conſiderat, gaudia deſperat.

EPIGRAMMA LXVI.

VMbra hæc, quæ fugiẽs fugitiuas denotat horas
  Phœbo eſt, ſi neſcis, filia nata patre,
At, ſi nigrantes gignit Sol aureus vmbras;
  Quis clarum ſperet poſſe notare diem?
Stultus ego, in terris luces ſperare ſerenas
  Qui potui: ſed iam ſpes malè fida cadit.
Nam, fortuna licet Phœbo ſit clarior ipſo,
  Nigra mihi ſemper diuidet vmbra dies.

Fractum ſpeculum.

EPIGRAMMA LXVII.

SE quōdā in ſpeculo pulcher ſpectabat Amyntas
  Et vano ardebat captus amore ſui.
Cùm fugit è manibus vitrei ſplendoris imago,
  Fractaque cum ſpeculo forma adamata perit.
Proximus huic aderat Corydon, formoſior illo:
  Sed cui non dederat cor leue forma fugax.
Hic placidè attollens geminas duo ſidera luces,
  Hos lepido ridens fudit ab ore ſonos.
Diſce hinc, vernanti nimium non credere formæ,
  Debilior fragili nam nitet illa vitro.

Iuuentæ breuitas è floribus.

EPIGRAMMA LXVIII.

DVm veris legeret gemmas formoſus Alexis,
  Iungeret & teneris alba liguſtra roſis.
Ob-

Obuius ecce illi Thyrſis, par flore iuuentæ,
Par forma, & caſto par in amore comes.
Quem tremulis vbi ſubridens conſpexit ocellis,
Purpureo tales edidit ore ſonos.
Aſpicis hos nitidos imitantes ſidera flores,
Et vitreo ſparſas roris honore roſas?
Humanos referunt fugitiui temporis annos,
Dum veniente nitent Sole, cadente cadunt.
I nunc, & viridi ſtultus confide iuuentæ,
Quæ teneris breuior floribus, orta perit.

Coma compta.

EPIGRAMMA LXIX.

Cynthia pulchra oculis, capitis ſed pulchrior (auro,
Ad ſpeculum fontis circinat arte comam.
Aſpicit hanc ludens per florea prata Lycoris,
Corda Lycoris habet quæ magis alba-genis.
Et ſubito fundens molliſſima verba labellis,
Retia cui capitis Cynthia nectis? ait.
Necto, reſpondit, Niſo quo nullus in Ida,
Dardanias paſtor pulchrior egit oues.
Stat cordè his comptis illum vincire capillis,
His iuuenem flauis illaqueare dolis.
Tunc, geminas pudibunda genas ſuffuſa rubore,
Et deiecta oculos, caſta Lycoris ait:

Vincula ſunt, fateor, ſunt retia flaua capilli:
Sed quæ cor capiant, quod parat illa, priùs.
Certiùs hæc te igitur, quàm Niſũ, vincula nectũt:
Queis ſi corda cupis ſoluere, ſolue comam.

Phrygiæ veſtes.

EPIGRAMMA LXX.

SI vincis gemmas oculis, aurumq. capillis;
Et roſa ab ore tuo victa pudore rubet;
Cur veſtes auro intextas, gemmiſq. ſuperbas,
Tam benè diſtinguit quas roſa ficta, geris?
Non gemma in gemma, non aurũ ſplẽdet in auro,
Nec teneris fulget purpura iuncta roſis.
Si tamen vſque cupis te digno ornare nitore,
Ipſa tibi chlamydem ſidera ab axe ferant.
Seu mage Virgineæ pallam ſuperindue mentis,
Cui cedunt aurum, ſidera, gemma, roſæ.

Pi-

Piſcator.

EPIGRAMMA LXXI.

O Licida, longa dum fallis arundine piſces,
Aſpicis vt criſpis rideat vnda genis?
Scilicet illa tuæ lætatur imagine formæ,
Illius in tremulo quam notat vmbra ſinu.
Teq; ,ocu losq. tuos quærit genus omne natantum,
Quod leue per ſummas ludere cernis aquas.
Sed tu ſume libens teneræ documenta iuuentæ,
Dum cupidos piſces æra recurua tenent.
Eſt mare vita fugax, in quo nos piſcis ad inſtar.
Ludimus, eſt hamus mortis iniqua manus.
Incautos igitur piſces ceu fallit arundo,
Sic fatuos fallit mors inopina viros.

Venatrix.

EPIGRAMMA LXXII.

CYnthia dum curſu lepores, ceruoſq. fatigat,
Et celeres agitat per iuga ſumma canes,

Vnda pedem ſiſtit,ponunt ſua murmura frondes,
Prata oculos tollunt, & ſtupet omne nemus,
Mille oculis etenim, mille arcu ſpicula vibrat,
Mille quibus lepores, cordaq. mille petit.
Sed quis labentis formæ non ſpernat honores,
Quos fugat hora fugax, ceu fugat illa feras?

Gemmatum torquem donat amaſius virgini, quem illa offert Deiparæ Virgini.

EPIGRAMMA LXXIII.

DOnat amans iuuenis gemmato torque puellã.
Ingenti vt virgo munere victa cadat.
Illa ſed hunc magnæ matris ſuſpendit ad aras,
Et, ſe dum ſoluit, nectit amore Deum.
At tu ne ſperes tam caſtam vincere, nam ſi
Non domat hanc auri, nulla catena domat.

Fra-

Fratris, matris, ſuimet interemptor.

EPIGRAMMA LXXIV.

INnocuum fratrem frater necat inuidus; ambos
  Diligat impariter quòd malè cauta parens.
Quin iecur, heu miſeræ genitrici apponit edēdū:
  Atque, vora nati viſcera mater, ait.
Illa tremens vlulat, factùm exſecrata nefandum,
  Cùm fuit; & matrem perfidus enſe petit.
Tum, ſibi tartareo furiarum percitus œſtro.
  Vitam adimit, culpæ conſcius ipſe ſuæ.
Impius, iniuſtus, fratrem matremq. peremit;
  An pius, & iniuſtus, dum ſibi pæna fuit?

Ma-

Mater, vt filium ſacra facientem, ab hoſte protegat, ſclopi ictu occumbit.

EPIGRAMMA LXXV.

SAcra facit feſtas iuuenis Tyrrhenus ad aras,
Sclopo illũ vt perdat, cùm ferus hoſtis adeſt.
Intererat ſacro mater viſura cadentem
Natum, ni clypeo pectoris ipſa tegat.
Ergo ſui accurrens obiectu corporis, ictum
Excipit & mortem viuat vt ille, ſubit.
Fœlix, quæ vitam potuit bis reddere nato,
Hoc iterum pulchro vulnere facta parens!

Simia, vt ignem accendat, accipit pro parua ſcintilla cicindelam.

EPIGRAMMA LXXVI.

SImia in expoſito componit ligna camino,
Frigus vt incenſo temperet igne nouum.
Et

Et cicindelam ſumens, putat eſſe fauillam;
Qua valeat calidas ore parare faces.
Sed quò plus buccis inſufflat ſedula plenis,
Quæſitos ignes ſuſcitat aura minùs.
O fœlix error! nam ſi hæc ſcintilla fuiſſet,
Sufflaſſes digitos, ſimia mæſta, tuos.

Idem argumentum.

EPIGRAMMA LXXVII.

SImia, vt accenſo noua frigora temperet igne,
Ingerit extincto ligna cremanda foco.
Lampyridemque capit, volucris pro luce fauillæ,
Ac pleno falſas excitat ore faces.
Nec pro ſcintilla mirum eſt ſi hanc ſimia ſumat,
Cum pro laternis has homines capiant.

Qui-

Quidam, occiſurus dormientem hoſtem, intempeſta nocte intrat per feneſtras: ſed videns illum manus habentem ante pectus in formam Crucis; territus eo ſigno, fugit.

EPIGRAMMA LXXVIII.

HOſtis atrox media conſcendit nocte feneſtras
  Carpentem ſomnos vt petat enſe virum.
Occultumq. ferens lecto iam proximus ignem;
  Denudat tacitus pectora, quæ feriat,
Cum Crucis in formam tutantia brachia pectus
  Conſpicit, & ſubitò decolor ore tremit.
Tum fugiens Erebo vel formidabile ſignum,
  Vicino pectu s liberat enſe pium.
O Crux vitalis nimiùm, qua tutus ab hoſte
  Tã benè quis vigilat, quàm benè dormit iners.

Vnio-

Vnione vitam redimit adulter, maritus vendit honoerm.

EPIGRAMMA LXXIX.

INfida captus cum coniuge diues adulter,
Pro vita ſpondet munera magna viro.
Huic erat inſignis candore & pondere bacca,
Cui vidit forſan nec Cleopatra parem.
Vir petit hanc recipitq. citò: tum iuſſus abire
Illæſus turpem deſerit ille domum.
Gemma potens, pro qua turpis mercator honorem
Vendit, ſed vitam prouidus alter emit.
An quia gēma pudor, pro gēma vēditur? an quòd
Gemmis, queis cedunt omnia, cedit honor?

Scen-

Somniat quis, ſe à leone occiſum: manè templum ingreditur: videt marmoreum leonem: cui dum tangit ora, ſcorpius illum mordet, & moritur.

EPIGRAMMA LXXX.

Eſt viſus iuueni inſomnis leo, feruidus ira,
  Horrida ferre ſibi funera dente truci,
Surgit manè vigil; lætuſq. inſomnia ridet:
  Et vicina celer limina ſancta petit.
Marmoreumq. videns minitantem ſæua leonem,
  Hic tulit inſomnis an mihi funus? ait.
Sed, dùm fortè manum labris immittit apertis;
  Scorpius illi infert vulnus, in ore latens.
Nec mora: fatali diffuſo ad corda veneno,
  Eſt illi mortis cauſa inopina leo.
O ſors diſſimilis! vitam dat mortuus vni,
  Ore leo, aſt alium ſaxeus ore necat.
Libat ab occiſo Sampſon noua mella leone;
  Hic de marmoreo funera amara trahit.
Nam ſors cui ridet; mors vitam ſtillat ab ore:
  Et cui mœſta gemit; ſaxa venena vomunt.

Duo

Duo corui rapiunt inſignes margaritas ex auribus fœminæ haud diuitis.

EPIGRAMMA LXXXI.

Qvæ vellet Dominus, docti duo tollere corui,
  Scitè eſcas olim concupiere nouas.
Auribus appenſos magnos geſtabat elenchos
  Fœmina, quæ forma diuite, pauper erat,
Hos auido pariter roſtro, parilique volatu,
  Vix iuſſæ volucres diripuere ſimul.
Ingemit, exclamat mulier, populuſq. cachinnos
  Tollit: & ad Dominum coruus vterq. redit.
Sorbilis ò valeat Cleopatræ gemma ſuperbæ,
  Si teretes baccas tu quoque corue bibis,
Sed tu ſperne libens inhoneſtos fœmina cultus;
  Suſpectum, nam quod dedecet, eſſe ſolet.

Canis, amiſſis catulis ; feli rapit filios.

EPIGRAMMA LXXXII.

Vix peperit primos catulos generoſa moloſſa;
Hos cùm furtiuæ ſubripuere manus.
Illa redit, latratque gemens, prolemque requirit;
Quæ tamen haud genitu ſæpè vocata venit.
Neſcia ferre igitur, catulis orbata, dolorem ;
Feli clam natos, mater iniqua, rapit.
Quos dum ceu proprios lactat, venit aſpera felis,
Vnguibus vt repetat piguora vulſa ſibi.
Illam ſed rabido canis occupat effera morſu,
Et pauidam carpit dente notata fugam.
Quid ſit amor matris, diſce hinc, hoſtilia nutrit
Pignora, ſit penitus ne ſine prole canis.
Nam, ſi vera parens raptis nequit eſſe catellis;
Vel falſum matris nomen habere cupit.

In Calabriæ terremotu, paſtorem abripit terra dehiſcens, quem ſubitò reddunt erumpentes aquæ.

EPIGRAMMA LXXXIII.

Dvm Calabræ inſolitis tremuerūt motibus vr-(bes
Sciſſaque tot populos ima vorauit humus;
Cum grege paſtorem tellus deduxit hiatu,
Redderet vt tumulo, funeris ante diem.
Mox fluuius, cæcis erumpens fortè latebris,
Cum duce viuentes inde reduxit oues.
Fluminis & terræ gemino propè funere fœlix!
Nam, cùm fata volunt, bis perijſe iuuat.

De fele venante palumbes.

EPIGRAMMA LXXXIV.

Qvis lautas ſolùm menſas ornare palumbes
 Dixerit, has etiam ſi mala felis edit?
Quin, ſi eadem exiliens, illas capit ore volantes;
 Figere aues melius quis per inane valet?
Ne mirere tamen, poſſit quòd callida tantùm,
 Nam bonus eſt auceps ingenioſa gula.

Glorioſus miles, contra Macedones arma mouens, ab alio irriſus.

EPIGRAMMA LXXXV.

SE quidam iactat Perſas domuiſſe feroces,
 Bella Macedonijs dum furibunda mouet.
Centum ſternere oues, alius, ſed fortior, inquit,
 Non eſt, vt ſeptem bella mouere lupis.
Et benè, nam multos poſtquàm deuicerat Hector,
 Victus Achillæa concidit ipſe manu.

Ad

Ad formoſam, pudicamque Virginem, cui nomen Venus.

EPIGRAMMA LXXXVI.

SI *Venus* es tremulis oculis Venus ore nitenti;
Quã benè vel nomen dat tibi pulchra Venus!
Sed, quia Virgineo meliùs tu lumine fulges;
Ipſa tibi palmam victa Erycina ferat.
Seu mage bina Venus ſit poſt hac: altera fallax,
Altera conſtanti clara pudore magis,
Illam Cyprus amet, Cæli te ſidera quærant:
Et Veneri cedat tertia Regna *Venus*.

Neapoli Prorex, viris primarijs comitatus, ſtultorum domum animi cauſa ingreditur.

EPIGRAMMA LXXXVII.

Qvi modò Parthenope pro Principe regnat Ibero.
Amentum voluit viſere fortè domum.
Hora erat, inſtructa qua iam longo ordine mēſa,
Stulta ſolet parcas ſumere turba dapes.
Spectatum cuncti veniunt:ſed mentis egentes,
Tot ſibi belligeros extimuere duces.
Et non Phæbeo pectus ſtimulante furore,
Inſana patinas arripuere manu.
Has proceres contra iaciunt, maniciſque ſolutis,
Incautos tentant fuſte ferire viros.
Ilicet in trepidos riſus abiere timores,
Et vitare manus vix potuere pedes.
Diſce hinc quam moneant vulgi prouerbia verū;
Ludere cum ſtultis, qui ſapit, ille cauet.

In

In Chirothecas, quas ab amico quis dono acceperat.

EPIGRAMMA LXXXVIII.

Hæc mihi, quæ geminas exornāt munera palmas,
Vincula ſunt cordis, vincula odora licet.
Vincula, quæ digitos molli dum tegmine velant;
Noſtra tibi furtim corda reuincta tenent.
Ergo tuis erit inſidijs quis tutus, Aminta,
Si digitos ornas, vt mihi corda liges?

Aeger miles Hiſpanus humi dum languet, equo excipitur, & moritur.

EPIGRAMMA LXXXIX.

Fvſus humi moriens miles languebat Iberus;
Quem propè, vir celerē nobilis vrget equum.

Ille ait: heu! quæſo morientē hinc tollite egenum,
Ne rigida, gelido ſub Ioue, morte cadat.
Nec mora: vir magna pietate inſignis, & armis;
Spumantis miſero terga relinquit equi.
Attamen extremæ nimiùm jam proximus horæ;
Dum vehitur, pariter morte equitante perit.
Sed non omninò lucem ſine ſorte reliquit:
Factus eques moriens, qui pedes ante fuit.

Duæ ſorores captiuæ, non vnum ſortitæ herum, dum ſe inuicem, abituræ in diuerſa; complectuntur, morte improuiſa cadunt.

EPIGRAMMA XC.

ENixa eſt geminas fortuna infauſta ſorores,
Sanguine, virgineis moribus, ore pares.
Quæ citò fatalem patriæ fleuere ruinam.
Et victoris heri ſuſtinuere iugum.
Sed quia ſortito dominus non obtigit vnus;
Crudum ambas fatum diſſociauit idem.
Attonitæ ſtupuère priùs, mox flumen amarum,
Altera ab alterius victa dolore dedit.

Do-

Donec eburna manu complexæ colla viciſſim,
Iliceet in lacrymis occubuere ſimul.
Sic animas caras iungit, famulaſq. catenas
Tam fido accito funere rumpit Amor.

Virgo celebris ingenio pudicitiam tuetur.

EPIGRAMMA XCI.

Clauditur occluſo dum virgo pudica receſſu:
Furtiuus iuueni limina pandit Amor.
Irruit, & ſæuo ſtimulante Cupidinis arcu,
Currit in amplexus. ſed fugit illa manus.
Ipſe oculis iterum manibuſq. procacibus vrget,
Reijcit aſt iterum caſta puella dolos.
Atq. ait: innocuo precor ô iam parce pudori:
Muneris & magni præmia digna feres,
Eſt oleum fatale mihi, quo corpus inunctum,
Quolibet illæſum vulnere ſemper erit.
Et ne fortè putes, falſis me ludere dictis;
Exemplo hoc poteris nunc didiciſſe meo.
Inde linit collum gutta mendacis oliui,
Tum, citò diſtrictus me petat enſis, ait.
Dixerat, ille timens crudum tamen exerit enſem,
Et non ſperato vulnere colla ſecat.

O fœlix Virgo, vna quæ ceruice redemit,
Bina pudicitiæ debita dona Deo!
Nam viuum clara ſeruat ſibi morte pudorem,
Et perit hoc iuuenis merſa cruore Venus.

In puellam optantem caſtra ſequi.

EPIGRAMMA XCII.

LIs magna eſt inter caſtos & caſtra: puella
Caſta igitur timeat martia caſtra ſequi.
Proxima nã quantũ ſunt hæc duo nomine; tãtùm
Diſſita longinquis moribus eſſe ſolent.
Cũ Venere at cõtra, magna eſt concordia Martis:
Heu fuge tù Martem, ni cupis eſſe Venus.

Filia patrem lactat.

EPIGRAMMA XCIII.

FIlia ieiunum lactat generoſa parentem;
Altoremq. ſuum munere lactis alit.
Hinc fit dilecti genitoris filia mater,
Fit genitor natæ filius inde ſuæ.
Ille olim donat vitali lumine natam;
At vitam reddit pulchriùs iſta patri.
Non hac crede fuit proles felicior vnquàm,
Quam pietas matrem compulit eſſe patris,

Herminia caſtigata.

EPIGRAMMA XCIV.

EXemplis formoſa tuis Herminia diſce;
Quid ferus in tenero pectore poſſit amor.
Tu,quondam claro prognata è ſanguine Regum,
Nunc timidas virga paupere ducis oues,

Et licet antra tuos frontis mirentur honores,
Et ſtupeant roſeis florea prata genis:
Tu ſuccincta tamen villoſo tegmine capræ.
Regali mulges vbera plena manu!
Ergo tam duri iuga ferrea deſere amoris,
Si cupis abiecto ſceptra tenere pedo.
Maieſtas etenim Regum qua purpura fulget,
Cum Veneris puero non ſimul eſſe poteſt.

In fœminam armatam.

EPIGRAMMA XCV.

IMbellis mulier, quæ ferro induta rigeſcit;
Denudat iaculis pectus inerme nouis.
Nam magis Idalijs ſunt peruia corda ſagittis;
Quæ malè tu clypeo non pudibunda tegis.
Ceu Iouis emiſſum fulmen, ſunt fulmina amoris,
Armatum intacto quod petit ære ſinum.
Linque igitur ferrum: rigidumq. aſſume pudorem,
Fœminei cordis qui ſolet eſſe chalybs.

Ad

Ad puellam edentulam.

EPIGRAMMA XCVI.

ORis opes, dentes, naturæ munus eburnum,
Hactenus amiſſos ſit gemuiſſe ſatis.
Nam tua de labris ſat ſola corallia fulgent,
Sat ſine gemmarum lumine concha nitet.
Ceu mare purpureum tua ſunt rubicũda labella,
Non habet at ſcopulos hoc ſine dente mare.
Nulli, irata licet, poteris iam figere morſus;
Nec dulces auido vellere dente dapes.
Parciùs hinc molles in riſus ora reſolues,
Raraq. vel rupto è margine verba fluent.
Dentibus excuſſis, nulli tua forma nocebit:
Lædere nec ſerpens nam ſine dente valet.

Apud Caſalem, in prima obſidione, malus ſicca, cui ſuſpenſus eſt miles, & tumulus ter repentè florent.

EPIGRAMMA XCVII.

Cvm primum Hiſpano premeretur ab enſe Ca-(ſalis,
Dux vallata viros linquere caſtra vetat.
Tres tamen ad Bacchi turgentia munera currunt,
Quorum delicti neſcius alter erat.
Ilicet à vigili cum præda milite capti,
Damnantur diræ fata ſubire trabis.
Sed prece Dux victus ſtatuit committere ſorti,
Vt r. us ad mortem de tribus vnus eat.
Cùm ſuper innocuum cecidit ſors improba, malo
De ſicca qui mox pendulus occubuit.
Ecce tibi luces vix binæ à funere lapſæ,
Et malum & tumulum flore nitere vident.
Carpuntur multo bis terque à milite flores,
Bis terque at flores læta refundit humus.
Tunc ait auditor noxarum in morte Sacerdos:
Huic ſinè lethali crimine vita fuit.

Ergo

Ergo omnes belli proceres, Duxq. ipſe ſupremus,
Oſſa nouo tumulo caſta locare parant.
Inſtructaque pia belli longo ordine pompa,
Templa ſubit dorſo ſarcina vecta Ducum.
Scilicet ille fuit medijs flos integer armis,
Florem igitur florum prodere munus erat.

Sex nautæ ebrij, tempeſtatis imagine, cauponam pro naui exonerant.

EPIGRAMMA XCVIII.

SEx domiti nautæ generoſi robore Bacchi.
Aequora, cauponam vento agitata putant.
Dumque graui fluitat capitis vertigine tectum,
Incipiunt fictas exonerare rates.
Iamque volat miſeri cauponis multa ſupellex;
Quam raptura inopum concita turba ruit.
Caupo ſed exclamat: rebus iam parcite noſtris,
Et vinum vobis ſit vomuiſſe ſatis.
Eſt nã cymba, caput: mare, Bacchi feruidus humor;
Tuta, hoc egeſto, naufraga puppis erit.

Romana mulier chirothecas veneno imbutas donat Othoni tertio Imperatori, quibus ille moritur.

EPIGRAMMA XCIX.

GEmmatas fingit dum fœmina dactylothecas,
  Theſſalica infundit nigra venena manu.
Nec mora:tam pulchro donauit munere Othonē,
  Mœnia dum Romæ linquere capta parat.
Scilicet huic dulcis, poſt funera ſæua mariti,
  Vnus erat coniux, atque amor vnus Otho.
Sed furor ingenti tandem ſucceſſit Amori,
  Non licuit longæ quòd comes eſſe viæ.
Neſcius ille manus viroſis pellibus ornat,
  Fuſaq. per digitos corde venena bibit.
Nec mirum, iratam dare munera mortis amantē,
  Quando etiam placidus dona venenat Amor.

Idem

Idem argumentum.

EPIGRAMMA C.

Cæſaris intexit manibus dum fœmina thecas,
Illas viroſæ polluit artis ope.
Dein hoc irata extremum dat munus Othoni,
Se malè deſerta qui meditatur iter.
Ille tegit geminas infecto munere palmas,
Deq. venenata funera pelle trahit.
Munifica eſt etenim, cùm nil tibi fœmina donat,
Quæ ſolet in donis condere auara dolos.

Attelaſia, Othonis primi Imperatoris filia, cum Aleramo præceptore pro fuga, carbonarium negotium exercet.

EPIGRAMMA CI.

Audit Aleramũ Attelaſia pulchra magiſtrum,
Sed fugere Auguſtam diſcit amando domũ.
Dum-

Dumque illum ſequitur ſit carbonaria: nullum
Nam munus quamuis turpe, recuſat Amor.
An forſan, proprijs deſint ne pabula flammis,
Arte nigra didicit ferre alimenta focis?
An potius docuit tot poſt incendia cordis,
Carbones ignis vix ſupereſſe ſui?

Tres fures mortem in auro inueniunt, quam timens Eremi incola fugerat.

EPIGRAMMA CII.

Qvam colit, in cauea fœlix habitator eremi
Corde tremens aurum repperit, atq; fugit.
Occurrunt illi noti tres nomine fures,
Et pauido nimium quo fugis ore? petunt.
Heu! mortem fugio reſpondet: ſcilicet aurum,
Quod mea defoſſum ſcrupea cella tegit.
Audito fures auri vel nomine, currunt,
Atque ima in fouea fulua metalla vident.
Sed curſu recubant feſſi, mittuntque ſodalem;
Qui referens vndam pellat ab ore ſitim.
Ilicet hic Lympham ſtatuit vitiare veneno;
Tam diues pondus ſolus vt inde ferat.

At

At contra, æquali ſocij quo parte fruantur;
Clàm miſero gladijs funera ſæua parant.
Iamque duo biberant, cùm tertius occidit enſe,
Et mox hauſta duos atra venena necant.
Sic tres inuento pariter moriuntur ab auro.
Qui fugit ergo aurum, non fugit ille necem?

Deluſus à Rege, qui librum illi alchimiæ donat.

EPIGRAMMA CIII.

FErt aliquis librum magno pro munere Regi,
Aurum qui mira fingere ab arte docet.
Dumq. putat larga mercede repenſus abire,
Sperat & hac ſortem vincere ſorte ſuam.
Sume hàc, Rex inquit, vacuã quã reddo crumenã,
Arte illam poteris nempe replere tua.
Tunc miſer optato redijt deluſus ab auro,
Ars quod nulla facit, ſed quoq. rara capit.

In periculo ingenti iuuenis eximia caſtitas.

EPIGRAMMA CIV.

DEperit ingenti Lydam Laurindus amore;
Atque decennali torridus igne gemit.
Illa ſed ingenti paucis æquanda pudore
Obſtitit, vt ſcopulus quem maris vnda quatit.
Donec Laurindus Veneris deluſus ab arte,
Deſperat rigidam vincere poſſe feram.
Sed tandem, innocuo flammam ſubdente marito,
Indomitum Lydæ pectus aduſſit amor.
Impatienſq. nouum ſimulare Cupidinis ignem,
Laurindum in thalamum nocte fauente vocat
Ilicet acer amor ſopitas corde fauillas
Excitat, ille volat qua Cytherea iubet.
Aſt vbi quæſitum potuit penetrare cubile;
Quid, Lyda, ò tandem cor tibi fregit? ait.
Reſpondet: retulit de te mihi maxima nuper
Vir meus, & laudes extulit ore tuas.
Hinc me furtiuus Veneris malè perdidit ardor,
Et nunc me tardam pœnitet eſſe tuam.
Tunc ſtupuit mores hominis Laurindus honeſtos,
Flammatique artus obriguere gelu.
Atque ait: ah pudeat veſtrum me rumpere fœdus,
Ingenuique viri contemerare torum.

Di-

Dixerat, & rapidas præuertens curſibus auras,
Pœnè ſibi collo brachia nexa fugit.
Iſacidem iuuenem ſileat Nilotica tellus:
Scilicet ille vnam vicit; at iſte duos.
Ille fuga ſolos Dominæ ſuperauit amores,
Hic proprios ignes, fœmineasque faces.

Nauta lepidè irridet irriſorem ſuum.

EPIGRAMMA CV.

NAuita, vbi occubuit genitor? quæſitus, in vndis
Dixit, Et hoc pelagus mobilis vrna fuit.
Aſt auus, atq. atauus, ſubridens addidit ille,
Ante patrem miſeri quo periere loco?
In tumido pariter, reſpondit nauita, ponto:
Nam quis, vbi vixit, fata ſubire ſolet.
Ille iterum, pelago cur te committis aperto;
In quo tot generis iam cecidere tui?
Dic vbi, nauta refert, genitor tuus occidit? ille
In lecto, dixit: mors nec acerba fuit.
Quin auus atque atauus ſtratis in mollibus annos
Funere conſimili depoſuere graues.
Nauta ait: ergo omnes lecto periere cubantes:
Cur igitur lectum tu quoq. nocte ſubis?

Le-

Læſa vxor vno die perimit duos maritos.

EPIGRAMMA CVI.

Mvltiuola eſt iterùm mulier coniuncta marito,
In bello primum dum perijſſe putat.
Et iam ter ſpicis redimita recurrerat æſtas,
Cùm vir inoffenſus primus ab hoſte redit.
Oderat hunc mulier, nec amabat læſa ſecundum,
Secum igitur ſtatuit dedere vtrumque neci.
Quare adeò ſtimulat primum, cogitq. precando,
Riualem donec credulus ille necat.
Tum ſacco includunt fœdatum ſanguine corpus,
Ad mare quod gratum detulit alter onus.
Sed quia, cùm validos oneri ſupponeret armos,
Aſſuerat ſaccum fœmina cauta viro:
Proijcit æquoreas niſu dum pondus in vndas,
In pelagus pariter pronus & ipſe ruit,
Sicq. procelloſo tumulatur vterque profundo,
Et ſe vxor gemino liberat hoſte ſimul.
Vxores caueant ergo irritare mariti,
Perdere tàm ſubitò ſi valet vna duos.

Ni-

Nimiùm Muſicæ deditus vna cum domo exuritur, dum clamores, ſibi ferentium in eo incendio opem, ad modos muſicos conatur temperare.

EPIGRAMMA CVII.

Dvm caneret, poterat qui Phœbum æquare canendo;
Corripit antiquam flamma repentè domum,
Accurrit populus, voceſque extollit, & vrget
Oſtia clauſa manu, fonte daturus opem.
Ille velut ſomno ſurgens rediuiuus ab alto,
Tot ſine menſura reſpuit aure ſonos,
Et patula exclamat, qua currit flamma, feneſtra,
Tam rudis, ô ſtulti, nil canor artis habet.
Diuidat hinc vobis potiùs mea dextera tempus:
Nec veſtrum quiſquam iam ſine lege canat.
Intereà dedit ignè domus ſuperante ruinam,
Qua ſubitò infœlix obrutus ille perit.
Qui minus ô vtinam didiciſſet pellere chordas,
Et molles dulci flectere voce ſonos!
Hinc amor immodicus viden vt demẽtet amãtes:
Et quæcumq. placent, tu fuge amare nimis.

Vxor

Vxor Stephani, Angliæ Regis, ore ſugit è viri vulnere venenum, & moritur.

EPIGRAMMA CVIII.

FOrtè venenata venando eſt cuſpide tactus,
Qui tulit impauida ſceptra Britanna manu.
Et, niſi quis labris ſugat de vulnere virus;
Proxima iam Regem funeris hora manet.
Ille dies emptos aliena morte recuſat,
Nec viroſa pius fata ſubire timet.
Sopito cùm fida nimis Regina marito,
Vulneris immerriti fixa venena bibit.
Ac, Stephano fugiens vitæ dum redditur aura;
Aeternùm coniux non moritura perit.
Hìc mihi Mauſoli referat quis Coniugis ignes',
Hauſit quæ cineres ebria amore *Viri*?
Illa ſibi haud nocuit, iuuit nec amore Maritum:
Dat vitam, mortem dum bibit iſta, *Viro*.

Ioan-

Ioannes Ziſca teſtamento reliquit vt ſua pelle tympana tegerent, ad euocandos milites contra Romanos.

EPIGRAMMA CIX.

ZIſca ferox, terris Gorgon educta Bohemis,
 Vuiglephi proles digna parente Lupo.
Vt crudas moriens in Romam exerceat iras,
 Hæc bellator atrox vltima iuſſa dedit.
Extincto pellem ſubitò mihi detrahat enſis,
 Gentis & hæc noſtræ tympana prima tegat.
Vt, libeat quoties indicere bella Latinis;
 Pulſa viros toties pellis ad arma vocet.
Sed furor hic, dignam meruit ſe iudice pœnam;
 Mortuus vt crebris ictibus vſq. gemat.

Virgo, ad amaſij conſpectum dum ſemianimis cadit, ſeruat pudorem.

EPIGRAMMA CX.

VIrgo erat, eximio paucis æquanda pudore,
Tam diues forma, quàm fuit æris inops.
Hanc auro aggreditur caſti prædator honoris,
Quo ſe vel Triuiam vincere poſſe putat.
Aſt, vbi conſpexit meditantem turpia vultum,
Ilicet exanimis Virgo pudica ruit.
Territus ille fugit, ſponte auri parte relicta:
Hæc cadit, vt viuat morte iuuante pudor.
Diuite nam tenerũ defendere ab hoſte pudorem,
Vix mors, aut dubiæ mortis imago, valent.

Nocturnus radius igneus, Cynthiæ oculum eruit.

EPIGRAMMA CXI.

SIdereis oculis iaculatur Cynthia flammas;
  Queis mille in cineres corda ſoluta cadunt.
Et, dum nocturnos volitantes aſpicit ignes,
  Aſtra poli condit; pulvereaſque faces.
Nitratum cum fortè volans per nubila ſidus,
  *V*era illi fictis ignibus aſtra petit.
Ac ne cum ſtellis frontis duo ſidera certent,
  Igneus vnum adimit lumen ab ore tubus;
Fœlix, ſi potiùs didiciſſes claudere ocellos!
  Nam formoſa nihil lumina clauſa timent.

In Calabriæ terræmotu Barbara Teleſia prægnans, dum relictum in cunis infantem aſportat, cum eo ruinis opprimitur.

EPIGRAMMA CXII.

INgentes inter Calabras memoranda ruinas,
  Prægnans, cui nomen Barbara, mater erat.

Hæc fugiens caſus iam pænè euaſerat omnes,
Viuam cùm meminit ſe ſine prole ſua.
Currit, & è cunis infantem ſubripit: at, dum
Læta redit; tecto preſſa ruente cadit.
Tres pietas, matrem, natum, clauſumq ſub aluo
Interimit, ne ſit Barbara tanta parens.

Mulier egregiæ formæ defuncta.

EPIGRAMMA CXIII.

CErnite, vt in gelidum rigeat mutata cadauer,
Humana eſt facie quæ modò viſa Dea.
Clauſa diu reſerate precor vos lumina, amantes:
Huius dum Cæli ſidera bina cadunt.
Hic ſol informis formoſum pandat Olympum,
Hæc mors æternum viuere vos doceat.
Sit cathedra hoc feretrũ, ſit mors ſine voce magiſtra,
Illi argumentum fœtor & horror erit.

De cuſpide mobili, quæ notat horas in horologio.

EPIGRAMMA CXIV.

ANguſtũ in gyrum quæ vertitur aurea cuſpis.
  Et fixa hinc, horas mobilis inde notat;
Temporis eſt validum, quod deſtruit omnia, telũ:
  Cuius dextra latet, tutiùs vt feriat.
Penna vel æthereos qua ſignant ſidera curſus:
  Et cum Sole ſuum Cynthia ſcribit iter.
Vel mage fatalis virga eſt: qua clauſus in orbe,
  Ceu magus, euertit marmora & æra dies.

Regis Nicomediæ filius in laſciuam puellam linguam deſpuit.

EPIGRAMMA CXV.

FLoribus in medijs vinctus cubat ore ſupino;
  Flos iuuenum, proles Regia, Martis honos.
Quem Veneris formoſa dolis inſtructa puella
  Dum tentat falſis vincere bladitijs;

Dentibus exciſæ vibrat, noua fulmina linguæ:
Et fugit à muto fulmine tacta Venus.
Lingua ſilens cecinit melius te nulla pudorem:
Poſt hac elinguis viue, Pudicitia.

Iuuenis infecto à ſe gladio, poſt occiſum hoſtem, ſocij manu perimitur.

EPIGRAMMA CXVI.

ARmauit iuuenis ſuccis lethalibus enſem,
Atque hoſti paruo vulnere fata tulit.
Dein ſocio præbet: ſed, dum furor incitat ambos;
Vix prima tactus cuſpide & ipſe cadit.
Sic ſcelus auctorem repetit; ſic, vindice caſu,
Inuentor fraudis fallitur arte ſua.

Lupus & Aula.

EPIGRAMMA CXVII.

RAucus erit quem fortè Lupi videre priores:
Dicere ſed verum, quem videt Aula vetat.
Vera monens igitur celebrata Palatia vitet,
Nam Lupus eſt rectis Aula maligna viris.

Mu-

Mulier militem obtruncat, qui ei nummos vitamque auferre volebat.

EPIGRAMMA CXVIII.

INtrat nummatæ fur miles tecta puellæ ;
Sanginea intentat cui ſine cæde necem .
Sed, dum fortè parat putealem ad funera reſtim,
Conclauis fidas obſtruit illa fores .
Fur redit, & poſtes occluſos perforat enſe,
Dein caput immittit quà via facta patet .
Tunc ſexum mulier vincens, armata ſecuri
Impia bis merito vulnere colla ſecat .
Ac vitam & nummos ſeruat : dextraque virili,
Crudo hoſti reddit, ſorte fauente, vicem .
Huic par clara Iahel an Iudith? ſcilicet ambæ
Sopitos, vigilem truncat at iſta virum .

Monialis effoſſos ſibi oculos Regi mittit:

EPIGRAMMA CXIX.

SIdereis oculis Virgo deuota Tonanti,
Non experta ignes, ignea tela iacit.
Excipit excuſſas toto Rex pectore flammas,
Frontis & aſtriferæ victus amore perit.
Quare amẽs iubet, in cineres pia clauſtra reſolui,
Ni gemino detur lumine poſſe frui.
Cùm generoſa ſibi luces Virgo eruit ambas;
Atque ait: hæc Regi munera ferte, precor.
Quæque meis oculis furibunda incendia traxit,
Extincta his pariter non rediuiua cadant.
Fatalem hìc haſtam nullus mihi iactet Achillis;
Veriùs iſta oculis vulnus, opemque tulit.

Iudicium Baiazetis inter Chriſtianum, & Hebræum.

EPIGRAMMA CXX.

MVtuat Hebræus Chriſtiano: carnis vt illi
Vncia ſi tardet reddere, ſecta cadat.

Cun-

Cunctatur pauper : durus ſed creditor vrget,
   Proq. auro carnem poſtulat, ore fremens.
Ille negat lacerum pro nummis ſoluere corpus:
   Iura petens alter Regia tecta ſubit,
Cui Baiazetes : pactæ tibi pondera carnis
   Sume, ait: at ſumas pluſue minuſue, caue:
Nam feret adiunctũ, demptũq. hæc vncia ſi quid.
   Tam noua crudeli crimina morte lues.
Chriſticola hic riſit, ceſſit ſed perfidus : omni
   Namque auro eſt carnis carior vnciola.

In Gibboſum.

EPIGRAMMA CXXI.

Svm qui fulcit Atlas gibboſus ſidera dixit;
   Namque mihi dorſum pulchrius axe tumet.
Eſt at, crede mihi, ſi tam deformis Olympus;
   Qui cupiat Cælum ſcandere, nullus erit.

In magnum naſum.

EPIGRAMMA CXXII.

SI magna in tanto reſidet Prudentia naſo,
   Et vix illam etiam tam capit ampla domus:
Cur tecti ingentis qua ſe ipſam parte reuelet,
   Naſutus quamuis noſcere nemo poteſt?

Captam mulierem ab octo ſatellitibus iuuenis ſolus dum liberat, eam incautè vulnerat.

EPIGRAMMA CXXIII.

Vincta puella manus, multoq. ſatellite cincta,
Ecce trahebatur carceris ad tenebras.
Non tulit hanc ſpeciem furijs agitatus amator;
Et conferta volans ſolus in arma ruit;
Octono caram rapuitq; à milite prædam:
Nam veſanus amor nulla pericla timet.
Sed, par Mauorti rapido dum fulminat enſe;
Neſcius ora graui vulnere amata petit.
Tũc,propriç horreſcẽs factũ lacrymabile dextrç;
Pænè luit falſa hæc crimina morte ſua.
Tu tamen haud miſeri erratum mireris amantis,
Cæcus enim nimiùm ſemper aberrat amor.

Duæ fœminæ nudis enſibus ſimul rixantur.

EPIGRAMMA CXXIV.

Foemina bina furẽs, vernat quà Tuſcula tellus;
Indignata colos, arma cruenta capit.

Et

Et nudis gladijs dum ſe ſe ad bella laceſſit,
Ore pauens ſociam lædere quæque timet.
Turba virum magnis animos clamoribus addit,
Sed vox imbellem nulla ciere poteſt.
Vtrtaq; cùm gladium toto ridente theatro
Vaginę reddit, dein ſua tecta ſubit.
Nam debet pugnare colo, fuſoq. volanti
Fœmina, quæ ſi vult pungere, pungat acu.

Ignotus filius à parentibus occiditur, qui tum ſeipſos pariter interficiunt.

EPIGRAMMA CXXV.

POſt multas ſegetes, auro ditatus Iolas,
Ignotus reperit tecta paterna ſuis.
Committit matri nummos, retegitq. ſorori;
Illius & pariter ſe genitore ſatum.
Cùm genitrix auri genitorque cupidine capti,
Ignari natum, dum cubat, enſe necant.
Mox ſoror, incaſſum fratrē dum mœſta requirit,
Prolem illum proprij detegit eſſe Patris.
Hic furijs agitata parens ſibi viſcera findit,
Inſerit & laqueo de trabe colla pater.
Rem ſoror enarrat, quæ poſt inſcribitur hæres,
Sicque refert facti præmia quiſque ſui.

Federicus Ahenobarbus inter Bulgarum & Groſium inſignes doctrina viros equitans.

EPIGRAMMA CXXVI.

REx, inter doctos binos equitabat amicos,
 Cui nomen fecit nobile barba rubens.
Queis ait: An Dominum verè me creditis orbis?
 Aſſerit hinc Groſius, Bulgarus inde negat.
Tũc Groſio Rex donat equũ,quẽ fortè premebat.
 Tù dicens æquum Bulgare, perdis equum.

Cucurbita putrida ex alto cadens impingit in caput Hebræi.

EPIGRAMMA CXXVII.

DEcidit ex alto corrupta cucurbita tecto;
 Hebræique tegit ventre fluente caput.
Marcidus in collum ſubit, deuoluitur humor;
 Ictu improuiſo territus ille fugit.
Dumq; fugit, capiti ventroſus pileus hæret.
 Et ridet toto concita turba foro.
O vacuum caput, hoc vacuo dignumque galero;
 Tam benè qui croceum diſſimulare valet!

Si-

Simia ouis incubans.

EPIGRAMMA CXXVIII.

SImia gallinam plumis fugat oua fouentem,
Et feſtina illis incubat ipſa ſinu:
Aſt, vbi ſe agnouit nullos excludere pullos;
Longiùs irata proijcit oua manu.
Hæc rupta in pullos ſubitò ſunt verſa tenellos;
Et quæ fota nihil, fracta dedere ſatis.
Simia tunc riſit gallinas oua fouentes,
Si excludit pullos tam bene cæca manus.

Mercator ne gemmas deſerat in naufragio perit.

EPIGRAMMA CXXIX.

NAuigat Oceanum gemmis Mercator onuſtus
Cum furit irati vaſta procella Maris.
Ille ſui oblitus, pro gemmis pallidus ore
Ingemit, ac ſtringit, pondera cara ſinu.
Mox cadit in pelagus,nec onus dimittit amatum,
Donec aquis diues naufragus obruitur.
Sic gemmas,pretioſa Maris ne damna relinquat,
Gemmarum in tumulo, gemmeus ipſe iacet.

Filius ad Tyberim currens inamplexum venientis patris coram ipſo mergitur.

EPIGRAMMA CXXX.

PEr Tyberim cymba genitor de gente Sabella
 Viſurus natum Romula tecta petit.
Filius ad ripam currit pernicior Euro,
 Stringat, vt amplexu colla paterno ſuo.
Dumq; leui saltu tentat conſcendere puppim,
 Ante ſui præceps mergitur ora Patris.
O Pater infœlix lethi ſpectator amari,
 Cui nati eſt, maior cauſa doloris, amor.
Nate, ſed ò fœlix, qui dignus viuere in æuum,
 Ante oculos Patris, Patris amore cadis.

Dum quis de infortunato aucupio fictè conqueritur, ſex meruli ex eius ſinu repente auolant.

EPIGRAMMA CXXXI.

VIdi ego ab aucupio mæſtum remeare togatum,
 Sed qui mœſtitiam fingere doctus erat.
In-

Iugreſſusque domum, gemitus fundebat amaros,
Callida, quod caſſes multa fefellit auis.
Dumque graui ſimulat veſtes lacerare dolore,
Laxato meruli ſex abiere ſinu.
Tunc nouus en auceps, ridenti diximus ore,
Siluula, cui pectus, cui toga rete fuit.

Naufragus hibernus Vxorem portat grauidam comis ligatam. Hæc parit in mari, & omnes ſalui perueniunt ad littus.

EPIGRAMMA CXXXII.

VXorem fert prole grauem ſibi crine reuinctã
Ter pauido, dum vir naufragus ore natat.
Illa parit, nimio partum celerante timore,
Ac trepida natum ſuſtinet vſque manu.
Addit Amor geniti vires, ſuperatque Maritus
Aequora, & ad littus pondera amata vehit.
O Thetidi dilecte Puer, dilecte Parenti,
Cui dat bis vitam Mater, & vnda ſemel.
Multa mari, & Matri debes, ſed plurima Patri,
Cuius trina domat fata, Natator amor.

Re-

Regina Saba, vt aiunt, offert Salomoni fictitios flores natiuis permixtos, ille veros à falſis, aduocatis apibus, internoſcit.

EPIGRAMMA CXXXIII.

REx ſapiens, Regina olim tentante Sabea,
Mixta capit veris lilia ficta roſis.
Sed quis naturam, docta diſcernat ab arte,
Vua etiam quando picta fefellit aues?
Cum Rex adducto, tacitèq. alueare recluſo,
Fronte graui ludens, euocat agmen apum.
Nec mora natiuis inſidunt floribus, & iam
Ore bibunt certis dulcia mella roſis.
Tunc Regina dolos apibus patuiſſe Magiſtris
Riſit, & obſtupuit Principis ingenio.
Sed videant alij, an fuerit ſapientia maior
Regis; an arguta gloria maior apis?

An-

Angli Regem ſuum Londini capite plectunt.

EPIGRAMMA CXXXIV.

IN te conuertis ſcelerata Britannia ferrum,
Regale, inſano dum caput, enſe metis.
Nempe vbi nec Regum veneratur colla ſecuris,
Quis iactare poteſt, vel caput eſſe ſuum?

Idem argumentum.

EPIGRAMMA CXXXV.

REx noſtrum caput eſt, Anglorũ Eccleſia cla-(mat.
Poſt ferro Regi, decutit ipſa caput.
Vt iaceat truncus toto bis flebilis orbi,
Tam ſine Rege ſuo, quam ſine Pontifice?

Na-

Nauis in tempeſtate merces iacit, quas dum ſedatis fluctibus conatur recuperare, magnam copiam inuenit vnionum.

EPIGRAMMA CXXXVI.

Tempeſtas nimboſa furit, cum naufraga puppis
  Mercibus eiectis vltima fata fugit.
Aſt vbi pacati ſtrauerunt æquora venti,
  Quærat, vt amiſſas vela retorquet opes.
Et dum conatur merces reuocare profundo,
  Multa nitet vitreo candida bacca mari.
His onerant læti nauem, gemmisque potiti,
  Iactura ô fœlix, & maris ira canunt.
Sic multos aduerſa ſolet fortuna beare,
  Sed miſeros eadem, ſæpè ſecunda facit.

Prægnans tormento bellico in ventre vulnerata parit, & moritur.

EPIGRAMMA CXXXVII.

Ferreus ecce globus tereti diſploſus aheno;
  Prole laborantem fulminat igne ſinum.

Na-

Naſcitur illæſus patulo de vulnere fœtus,
Sed perit horriſonos fulmine fracta parens.
An belli tu fulmen eris, tu Martius horror,
Cui Lucina fuit, machina ahena tonans?

Horologium in hominis caluaria.

EPIGRAMMA CXXXVIII.

MAchina, quæ celeres tinnitu diuidit horas,
Defuncti capitis carcere clauſa ſonat.
Et bene, nam noſtræ metitur tempora vitæ,
Inuida mors, annos, quæ ſine dente vorat:
Vel docet hoc hominis ſpoliũ, quo voluitur ætas,
Cum ſocia, noſtros currere, morte dies.

Anguis ſclopo interemptus ex cuius vulnere viuus egreditur buſo.

EPIGRAMMA CXXXIX.

Dvm fugit aerato reboans pila plumbea ductu,
Ingentem colubrum, teſqua per atra necat.
Exerit ecce caput viuus de vulnere bufo,
Inde manus, ventrem, crura, pedeſque trahit.

Mox

Mox ſalit,ac terram maculoſo corpore verrit,
 Gaudet, & anguinea morte videre diem,
Sic tumulus vitam reddit, ſic funere raptor
 Plectitur, & raptus cacere mortis abit.
Aera, ſed hæc melius tubulata vtrumq. necaſſent:
 Neuter nam vitam ducere dignus erat.

Simia ſutorem cedentem calceos imitata ſibi gulam ſecat.

EPIGRAMMA CXL.

Cædentem corium Sutorem ſimia ſingit
 Plurima, ſed corij fruſta reſecta cadunt.
Fiet Sutor ſua damna videns, at Simia ridet,
 Nam nimis egregio callida fidit hero.
Ille igitur ferro plantis dum tegmina formar,
 Sœpè iocans fingit colla ſecare ſua.
Hunc tacitè obſeruat ſimulatrix ſimia geſtum,
 Tum leuis ad corium, non reditura volat.
Cuncta minutatim cædit, ferrum admouet ori,
 Et ſibi non ficto vulnere colla ſecat.
Simia flet moriens; ſutor tu callide rides.
 Qui ſapit, haud tractet neſcius artis opus.

Si-

Simia ægram in lecto anum ſimulat illa iam ſepulta.

EPIGRAMMA CXLI.

ANnoſæ tandem vetulæ mors ſtamina rumpit,
Et ritè in templo iam tumulata iacet.
Ingreditur iuuenis, mulierque domeſtica tectum,
Aegra, vbi multa querens ante iacebat anus;
Hic nigris oculis cernunt pallere cubantem,
Cui tremulum cingunt ſordida lina caput.
Expallent, horrent, fugiunt, perque atria clamant
*V*iua iterum lecto lurida ſtertit anus.
Tota Domus currit, Domini, ſed callida Coniux
Aſpiciens propius, ſimia languet, ait.
Effuſos potuit nullus retinere cachinnos,
Tu fera furtiuam carpe iocoſa fugam.
Ne quis te, vetulam ſimulas dum febre peruſtam,
Cum vetula cogat fuſte volante mori.

Ru-

Rudis Agricola videns fructum deputatis vitibus, ut maiorem accipiat, eas ex ſtirpe ſecat.

EPIGRAMMA CXLII.

Dvm rudis in ſterili miratur cultor agello,
Attonſas vites falce dediſſe merum.
Si iuuat en dixit vitem compeſcere ferro,
Munera quot Bacchi tota reſecta feret?
Dixerat, & lætus vites à calce recidit;
Nulla, ſed infelix poſtea vina bibit.
Ah quoties mentes auidas, ſpes credula fallit?
Diues eris, diues ni cupis eſſe nimis.

Miles ſuper interfectum in bello Amicum occumbit.

EPIGRAMMA CXLIII.

PAr iuuenum egregium nuper Germania vidit,
Bellica, quos virtus iunxit amore pari.

Al-

Alter in aduerſas acies, dum prælia miſcet,
Hoſtili merſus ſanguine, & ipſe cadit;
Alter, & optatum ſocium poſt funera quærens,
Cara nimis ferro pectora aperta videt
Immotus pallet, languet, feralia verba
Murmurat; & tandem ſic moriturus ait.
Si tibi flos ieuuenem, non ferrum hoſtile pepercit
Fortior hic ferro, nec mihi parcat amor.
Tum cádit exanimis ſuper ora iacentis amici,
Et tam fidam animam cara labella bibunt.
Sed quis amicus erit tibi par fidiſſime? cuius
Pars animæ ferro, pars & amore cadit?

Filius ſuper tumulum Patris lacrymans moritur.

EPIGRAMMA CXLIV.

PArthenopes bello cecididit vir maximus armis,
Et iacuit ſacra contumulatus humo.
Poſt paucas hyemes, natus genitoris amati
Viſurus tumulum, lucida templa ſubit.
Dumq. gemens caro figit mille oſcula ſaxo,
Illius in lacrymas vita ſoluta fluit.
Filius, & genitor buſto tumulantur in vno,
Et confuſa nouis oſſibus oſſa iacent.
Si pietas ſi Patris amor te nate peremit,
Quam benè tu Patri, quod dedit ille refers.

Na-

Nauis Ianuenſis oppugnata; cum eam ferreæ pilæ deficerent; argento cuſo tormenta bellica onerat.

EPIGRAMMA CXLV.

DIues opum remeat Ligurum turrita carina
Quàm multa hoſtilis prora repentè premit
Aera tonant, ancepſq. diù ſtat pugna viciſſim,
Illam cum mortis deſeruere globi.
Cuſa gubernator peritura argenta recludit,
Proque pila nummis aera cauata replet,
Ignito fugiunt argentea tela metallo,
Infeſtique hoſtes diuite morte cadunt.
Sic qui quærit opes, opibus ſua fata laceſſit;
Et furor argentum, quo moriatur, amat.

Ma-

Maritus Vxorem à piratis captam natando ſequitur, vt cum ea ſeruitium ſubeat, ſed ambo tandem libertate donantur.

EPIGRAMMA CXLVI.

POllice fila trahit Tyrrheno in littore Coniux,
Auerſus dum *Vir* proxima rura colit.
Cum ſubitò puppis piratica radit arenas,
Penſaque voluentem ſurripit, atq fugit.
Lumina vir torquet, fugitiuaq. vela tuetur,
Et bibit extremos coniugis aure ſonos,
Euolat, & fruſtrà lacrymis reuocare carinam
Dum tentat, præceps æquora in alta ruit.
Siſtitè,& *V*xorem, precor ò mihi reddite clamat,
*V*el me ſeruito iungite ſorte pari.
Miratur magnum piratica pinus amorem,
Iungit, & vxori ſerua catena virum.
Interea puppis Regem peruenit ad Afrum,
Cui rem, dum memorant. Barbarus obſtupuit.
Dein placidè arridens dixit, qui ſeruit amori
Tam fido, vilis non mihi ſeruus erit.
Liber vterque igitur redeat, nam dulcia vobis
Vincula, qui nectit, vincula ſoluit amor.

Vir

Vir proſcriptus Vxorem callidè necat vt dote potiatur.

EPIGRAMMA CXLVII.

Proſcriptus magna cupiens vir dote potiri,
  Ipſe ſibi lacrymans nigra venena parat.
Te ſequar vxor, ait, conſors fidiſſime, quando
  Dulce erit, vt tecum viuere dulce, mori
Ille dolum ſimulans, lethalia toxica miſcet,
  Quæ calicis gelido pondere ad ima fluunt.
Pocula prima bibit vir fallax, vltima coniux;
  Hæc perit, aſt hæres ille ſuperſtes abit.
Vir ne crede vxori, vxor ne crede Marito,
  Nam plus coniugio, & ſanguine lucra valent,

Lucius, & vulpes dum ſe viciſſim in littore capiunt à viatore capiuntur.

EPIGRAMMA CXLVIII.

Spumanti eiectus Traſimeni ad littora fluctu,
  Ingens diducto, Lucius ore iacet

Re-

Repperit hũc vulpes, ſitiens dum currit ad vndas.
Sed iuuat inuentas ante vorare dapes.
Ilicet ergo ſuum patulo rictum inſerit ori;
Eſt quoq. nam vulpi gratior eſca caput,
Lucius, vt ſenſit, dentes compreſſit acutos,
Nullaque iam roſtrum vis reuocare valet.
Sic captans capitur, ſic vulpes callida capta eſt,
Nam vulpes etiam fallitur arte ſua.
Affuit intereà Peruſinus fortè viator,
Qui piſce, & cæſa vulpe potitus abit.
Piſcari in terra, venari in flumine monſtrum eſt,
Dat tamen huic piſces terra, dat vnda feras.

Mater è vulnere interfecti filij ſanguinem ſugit.

EPIGRAMMA CXLIX.

Dum moritur dulcis confoſſus vulnere natus,
Currit, opem fruſtra voce datura Parens;
Sed quia nemo valet fugientem ſiſtere vitam,
Ipſa ſuper nati vulnera cruda ruit,
Deciduumq. gemens auido bibit ore cruorem,
Vt vita in gremium, quo fuit orta cadat.

Aquila rapit cuniculo filios; cuniculus vorat Aquilæ pullos.

EPIGRAMMA CL.

INgemit orbatus ter prole Cuniculus alba,
Armiger ex antro, quam tulit vngue Iouis.
Aſt Aquilæ celſa pendebat in arbore nidus,
Cui ſtatuit fibras rodere læſa Parens.
Arbor lenta cadit, nidumque euertit, & ipſa,
Tres Aquilæ pullos vindice dente vorat.
Ergo ſi læſos ſtimulat vindicta, minores,
Quicumque es Princeps, lædere quemque caue.

Infixa ſpina Iuuenis pectori tandem vireſcit.

EPIGRAMMA CLI.

FOrmoſus celſa iuuenis ruit arbore præceps,
Cui ſpina immeritum pectus acuta fodit.
Nec potis eſt illam reuocare à vulnere ferrum,
Donec florenti carne relicta viret.

Fun-

Fundit enim ramos prima cum fronde tenellos
Nec ſemel has verno tempore mittit opes;
Et benè; nam duris curarum vepribus aptus,
Eſt magis humano pectore nullus ager.

Ferrea muſca emiſſa manibus Maximiliani Cæſaris in eaſdem reuolat.

EPIGRAMMA CLII.

IMperij proceres aderant cum ferrea muſca
Euolat è manibus Maximiliane tuis.
Et placido ludens per regia tecta volatu,
Cæſareas repetit, docta redire, manus.
O vtinam ferrum ſi muſcas erudit, omnis
Importuna nimis ferrea Muſca foret.

Duo mures in lampade oleum bibunt, è qua cum neuter exire poſſet ſe cauda, & humeris viciſſim iuuant.

EPIGRAMMA CLVII.

PEr funem lapſi ſiccarant lampada Mures,
Repere per vitrum, nec potis vllus erat.
Alter cum properat ſocio ſupponere terga,
Hac baſe, qui fultus carcere liber abit.
Sed memor hic, fido caudam protendit amico,
Qui preſſis illam dentibus arripuit.
Atq. ope tam grata vitrea reuocatus ab vrna,
Cum ſocio repetit fune iuuante larem.
Quis referet, cuius fuerit ſolertia maior,
An dorſo, an cauda, ferre, referre vices?
At ſociam tu diſce fidem, vel Mure magiſtro;
Et miſeris celerem, quam potes affer opem.

Quidam repentè moritur percuſſus ab Amico Roſarum faſciculo.

EPIGRAMMA CLVIII.

AEger amore ſenex, & forſan mentis egenus,
Riualis ſubitum vulnus vbique pauet.
Cum flores manibus geſtans occurrit amicus,
Et pectus molli flore ſenile petit.
Ille cadit moriens, ictus velut enſe cruento,
Fatalem gladium nam putat eſſe roſas.
Et benè nam *Veneris* languore infecta ſenectus,
Debebat Veneris non niſi flore mori.
Tù menti nunc crede tuæ, ſi vertere in enſes,
Vel teneros flores, hæc malè ſana poteſt.

Galliarum Rex ſuper menſa laudat Epigramma, quod alius regalem eſcam eſſe putat.

EPIGRAMMA CLIX.

REgi epigramma placet, magno, vel Apolline (dignum;
Cum dape Regali ſplendida menſa nitet.

At-

Atque ait; egregium tollens ſuper æthera carmen;
Dulciùs eſt epulis hoc epigramma Iouis.
Hanc retulit vocem, non vni Gallica pubes;
Sed quidam eſſe putat dulce epigrāma dapem.
Ergo ſibi liceat ſemel hoc epigrammate veſci,
Poſtulat á Regis terq. quaterque coquo.
Hic petit, ille negat, donec furor oſſibus ardet;
Certamenq. ineunt enſe, veruq. ferum.
Accurrunt famuli; rixæq. ediſcere cauſas
Dum cupiunt; riſum quis cohibere queat?
Rex, hoc audito, labris ridentibus inquit,
Si tandem pungat, tunc epigramma placet.

Roſa Sinenſis.

EPIGRAMMA CLX.

Qvam benè formoſos variat natura colores,
Dum Roſa Sinenſis, quæ rubet, alba fuit.
Scilicet hæc primùm diues candore niuali,
Vulſa ſolo ſenſim tincta rubore nitet.
Seu cito ſit lymphis grauido, ſuperaddita vitro,
Seu iaceat ſicco forte relicta ſolo.
Diſce hinc. Virginitas quam ſit vicina pudori,
Quando hæc tam facilè purpurat alba Roſa.

Trinus error oculati, & cæci.

EPIGRAMMA CLXI.

Qva Vaticani fulgent miracula templi,
Aenea clauigeri ſtant ſimulacra Senis.
Cuius turba ſacris pedibus ſœpè oſcula figit,
Et plantis geſtit ſuppoſuiſſe caput.
Huic pius os cœcus tendit. dum fortè puella
Factura id pariter caſta labella mouet.
Ille Petri credens, labris ſe tangere plantas,
Impreſſit roſeis oſcula cæca genis.
Vidit, & exarſit commota mente Maritus,
Orbaq. bis pugno contudit ora graui.
Attollit cæcus baculum par reddat, vt hoſti,
Et veneranda Petri neſcius æra petit.
Errores trinos ridet circumflua turba;
Quos vbi nouerunt tres rubuere ſimul.
Falluntur luces clauſæ, falluntur apertæ,
Sed tu vel cæcos fœmina cauta fuge.

Duo

Duo fratres fratrem, Mater filios necant, tum Mater, & Pater ſibi mortem inferunt.

EPIGRAMMA CLXII.

Dvm Pater occidit brumali tempore porcum,
  Id facere, & proles bina tenella cupit.
Quare ambo in cunis fratrem inuaſere iocantes,
  Porcellumque hilares ſe iugulaſſe canunt.
Horreſcit crimen genitor, mortemque minatur,
  At pueri in furnum ſe occuluere citi. (ignē
Neſcia mox Genitrix, panem, vt coquat, admouet
  Et pro pane prius pignora amata coquit.
Iamq, gemit binos, cum tertia funera nati
  Audit, & in puteum victa dolore ruit.
At Pater orbatus Natis, & coniuge, tandem
  Vt quinta abſoluat funera, fune perit.
Sœpè trahit plures ſic vna ruina ruinas;
  Ceu lacryma ex oculis vnica rara fluit.

Gallinas, quas muro concluſerat
Mater, filius hamo rapit.

EPIGRAMMA CLXIII.

FOemina Gallinas muro concluſerat alto,
Cuius ſola fores obſtruit, & reſerat.
Filius at contra genitricem vt fallat auaram,
Hamatis eſcis pendula fila parat.
Hæc ſummo quoties muri de vertice mittit,
Gallinas toties æra recurua trahunt.
Inſcia miratur pullos decreſcere Mater,
Nec qua parte queat fur penetrare videt.
Ingemit, exclamat: natus ſed callidus inquit,
Ex alto genitrix, iſta ruina venit.
Sed tales hamo didicit, qui ducere piſces,
Ieiunos poterit num timuiſſe dies?
Si Danae, nec tuta fuit, vel Turris ahena,
Sat pro Gallinis murus inermis erit?

Fa-

Famulus, cui nomen Leo mel vorans decipitur lepidè ab hero.

EPIGRAMMA CLXIV.

CArbones, & mel tecto clauduntur eodem,
  Vnde ſolet flammis pabula ferre Leo.
Sed quoties vacuis manibus loca nota frequẽtat,
  Altera carbones, altera mella capit.
Decreſcit pariter mel cum carbone nigranti,
  Nec dubitat Dominus, quin Leo mella voret.
Ergo reſinam terebinti mellibus addit,
  Ridicula nimiam fallat vt arte gulam.
Ille mel arripiens dentes ſibi glutine iungit,
  Ore nec obſtricto promere verba poteſt.
Et benè viſcata clauduntur guttura fraude,
  Furtiuis toties, quæ patuere fauis.
Mella Leo quondam guſtauit mortuus ore,
  Digna hæc te viuo ſunt noua mella Leo.

Idem famulus placentam in via paulatim comedit, quam herus mittebat amico.

EPIGRAMMA CLXV.

MIttit herus ſocio mellitam forte placentam,
Quam famulus geſtat, cui gula crimen erat.
Hic dum miratur quæ portat dona rotunda ;
Quadrata hæc inquit, num meliora forent ?
Dixerat, atq; orbē quadrat, præſtare quod vnquã
Archimedeæ nec potuere manus .
Et dum lætatur dulces variare figuras ,
Tot partes auido, quot ſecat , ore vorat .
Dein iterum dixit, mutans quadrata rotundis,
Aſt hæc in gyrum non niſi flexa placent .
D:niq. vt aſpexit nimium reſecaſſe placentam,
Nec tali orbiculum poſſe placere viro,
Ingluuiem reliqua ſaturauit parte rapacem,
Eſcaq. tandem illi tota placenta fuit .
At miſer,hæc dominus ventris cum crimina nouit
Fuſtis amaritie , dulcia facta luit .
Diſce hinc,quam facile mage ſit nō tangere mella,
Parcere quam tactis, & dare iura gulæ .

Raymundum Lullum nimio inſanum amore, amaſia curat detecto ſui pectoris cancro.

EPIGRAMMA CLXVI.

VEctus equo Lullus, Lillam quam deperit, ædē,
Non timet in ſacram mente furente ſequi.
Hic glomerantis equi, faciles dum flectit habenas;
Illum de templo concita turba fugat.
Arte ſed inſanos poteris qua Lilla furores
Lenire. & Veneris corda leuare dolis?
Ergo vocat iuuenem, cui non ſanabile pectus
Denudat, fœdus quod malè cancer edit.
Atq;caro dixit, pro qua tu deſipis, hæc eſt,
Heu vermes igitur deſine amare putres.
Ilicet hoc vlcus, vulnus curauit amoris,
Et Lullus latebras per nemora alta petit.
Sic pus, & vermes detergunt crimina mentis;
Et ſanie, cordi ſic medicina datur.

Duo magi quid vterque poſſet experiuntur coram Eliſabetta Angliæ Regina.

EPIGRAMMA CLXVII.

Tentauere duo, Regina inſtante Britanna,
Promere quid magicis poſſet vterq. notis.
Ergo alter ſocium celſa proferre feneſtra
Et caput, & collum voce minante iubet.
Paret, & extemplo ceruorum cornua fundit,
Nec potis eſt vlla vi reuocare caput.
Effuſum potuit nullus compeſcere riſum,
Ridendum gemuit, ſed magis ipſe iocum.
Tandem liber abit, furijsq; incenſus Auerni,
In muro Statuæ lineat arte locum.
Tum petit hoc vacuum ſe toto, vt repleat alter,
Qui licet inuitus iuſſa timenda facit.
Nec mora iam paries in partes ſcinditur, & mox
Heu miſer æterno clauditur hic tumulo.
O quam ſunt Erebi contraria Monſtra profundi
Iſte ferus Demon, ille iocoſus erat.
Tu tamen abſtineas magicas, vel tangere cartas,
Ludicra ſint hæc, aut ſeria, cuncta nocent.

Mo-

Monialis dum velum accipit caſu vulneratur, admoto ferro ad ſecandam Comam.

EPIGRAMMA CLXVIII.

TV *Virgo* ætherei flos illibasus amoris,
Ante aram ſuperis, dum placitura nites.
Fulgenteſque auro Phrigios deponis amictus,
Oris, vt ipſa tui lumina nube tegas;
Ecce tuas raptura comas manus inuida ferrum
Admouet, & caſu candida colla ferit.
Innocuique cadit iam plurima gutta cruoris,
Et tua nix multo ſanguine tincta rubet.
Lilia forte Deo ſperabas reddere amanti;
Sed magè purpureas diligit ille roſas.
Ergo nouam te finge roſam, vel cæde rubentem,
Sanguineo Sponſo ſi placuiſſe iuuat.
Aut ſi ardes miris cumulare altaria donis;
Alba cruentatis lilia iunge Roſis.

Sedens ad fluminis ripam illi ſimilem vitam ſuam agnoſcit.

EPIGRAMMA CLXXII.

O Tibi quam ſimilis vitrei ſum fluminis vnda;
  Tu reſonas lento murmure, at ipſe gemo.
In gelido muſcoſa ſinu tu ſaxa recondis,
  Me mala vel ſaxis aſperiora grauant.
Tu mutos piſces limoſo condis in alueo:
  Et mea qnot curas mens taciturna fouet?
Lucida lympha tibi ſumma eſt; cænoſa ſed ima,
  Flet cor, ſi rident ora ſerena mihi.
Sœpius elato ſuperas tu gurgite ripas;
  Sœpè mihi lacrymis ora, ſinuſque tument.
Tu fugiens vitam reparas per ſaxa fluentem;
  At mea per ſcopulos non reparanda fluit.
Ceu tu decliui ſemper petis æquora curſu,
  Ad mare lætheum ſic mea vita fugit.
Excipit amiſſo celebri te nomine Pontus,
  Oblitum cunctis me quoque condet humus.

Ari-

Ariſtomenes è latomijs euaſit anguſtum vulpis aditum ſequutus.

EPIGRAMMA CLXXIII.

Latomijs clauſus ſpartana fraude gemebat
Robore, & ingenio clarus Ariſtomenes.
Cum fortè ingreditur per nota foramina vulpes,
Cui ſtricta caudam corripit ipſe manu.
Illa iter anguſtum repetit, greſſuſque fugaces
Hic ſequitur, laxat dum manus vna viam.
Vulpina donec cauda præeunte fideli,
Tutus abit cæco è carcere Ariſtomenes.
Stringere fortunæ crines tu ſperne volantes,
Fortunæ huic melior ſi coma, cauda fuit.

Ruſticus Palumbem, leporem, nidumque perdicum fermè ſimul capit.

EPIGRAMMA CLXXIV.

Rvſticus ærata transfigit glande palumbem
Illius, è quercu, quæ cadit ante pedes.
Intentuſque alijs ſtrepitu, et inane fugatis,
Dum capit hanc, Leporem neſcius ecce capit.
Territus hunc allidit humo, nidumque recludit
Perdicum, ac trino pondere diues abit.
Fortunate nimis, ſimul, & venator, & Auceps,
Cui ſupra votum præda fit vna triplex.

Vir vxorem, & famulum innocuos, cum falſa delatrice occidit.

EPIGRAMMA CLXXV.

COmmota in Dominam mox diſceſſura Puella
Illam laſciui criminis inſimulat.

Vir

Vir fremit ore; tamen venatum fingit abire;
 Sed miſerum tacitè proxima cella tegit.
Intereà Dominæ imperium ſimulante Puella,
 Innocuum Iuuenem terque quaterque vocat.
It tandem, Dominamque toro recubare iugali
 Dum videt, attonito, quid petat ore, petit.
Hæc irata nimis iuueniles increpat auſus,
 Et pede feſtino linquere tecta iubet.
Cum vir mente furens, ſtrictoq. ſuperuenit enſe,
 Crudeliq. ambos vulnere tranſadigit.
At famula ingentis delicti tacta dolore,
 Ipſa met illacrymans crimina faſſa ſua eſt.
Ilicet indigno lymphatus funere coniux;
 Impia tam merito ſanguine facta luit.
Tum ſibi fata parat, furijs agitatus amantum;
 Et vix detentus non cadit enſe ſuo.
Quid rabies, quid poſſit Amor, quid fęmina diſce;
 Nec mente vllius crimina crede leui.

Iuuenis Teutonicus cupiens ſe Lazzareto deuouere à fratre detinetur, qui mox in Lazzaretum fratris loco euolat.

EPIGRAMMA CLXXVI.

Egregius Iuuenis Germanæ gloria gentis;
 Correptos ſæua peſte, iuuare cupit.

Hunc

Hunc ope amicorum fraterna retrahit arte
  Frater, cui nullus par in amore fuit.
Tum loca fœda petit, læthalibus obsita morbis
  Vt fratris iuſtas impleat ipſe vices.
Cedite Tindaride;fuit hæc nam gloria maior;
  Pro fratre, & Chriſto bis voluiſſe mori.

Quidam in dolium clauſus ab hoſte, liberatur à Lupo.

EPIGRAMMA CLXXVII.

VIr tacitis ſyluis in dolia clauſus ab hoſte
  Cogitur obſcæna fata ſubire fame.
Cum Lupus humanos fortaſſe ſequutus odores,
  Diogenis rabido circuit ore caſam.
Sed temerè immittens in ſumma foramina caudã,
  Clauſæ illam furtim corripuere manus.
Ecce Lupus per ſaxa fugit, per, & inuia præceps;
  Vir fracto vini carcere liber abit.
Si Lupus huic Homini miſero fuit impius hoſtis;
  Nũc lupus eſt homini quam benè factus homo.

Mulier viginti, & octo annis in aluo gerens fœtum durauit in lapidem.

EPIGRAMMA CLXXVIII.

Qva Senones regnant, mulier redeũtibus annis
Octo, & viginti, pignora ventre tulit.
In monſtrum donec lapidoſum obduruit infans
Et gemuit ſaxum ſe peperiſſe parens.
Sed parce ò Mater lapidum tabeſcere luctu,
Parce tui lacrymis ſaxa lauare ſinus,
Nam ſi vita hominum longo eſt damnata dolori
Fœlix, qui naſcens ſaxea membra gerit.

Na-

Nauis hiberna Anglam fugiens litteras proijcit in mare, ſed primæ P. Piccolominei Generalis Soc. IESV ad Hibernos Patres, poſt ſex menſes integræ littus tenent.

EPIGRAMMA CLXXIX.

ANgla fugat pauidam piratica nauis hibernā;
Plurimaque in pelago littera iacta natat.
Vna erat has inter, ſocios moderantis Ieſu,
Sermonis primi fida miniſtra ſui;
Hæc vndis iactata diu, ſex menſibus errat;
Sed tandem ſiccum, ſepè repulſa tenet.
Cum Patres caſu molli ſpatiantur arena,
Et chartam tollunt, quæ iacet vda ſolo.
O ſcelus; hoſtiles r fugit dum pagina palmas,
Inſanis pelagi tutior ibit aquis?
Aequora quis poſthac infido crimine damnet;
Reddere vel chartis ſi didicere fidem.

Hæretica Mulier in Heluetia in blaſphemiæ pœnam octo ſues parit.

EPIGRAMMA CLXXX.

DE grege Caluini mulier paritura laborat,
  Atque vteri extremo penè dolore perit.
Aduenere piæ Romani cultus Alumnæ,
  Vtq; petat templum Virginis vſque rogant;
Illa tamen magis antra ſuum, quam Virginis æd
  Optat, vbi pariat quod peperiſſe nequit.
O Mōſtrum horrendum, porcos mox edidit octo
  Grunnituq. lares obſtupuere nouo.
Sic votum impletur, facta eſt nam porca lutoſa,
  Turpe ſuile domus; filius, octo Sues.

Mulier in ſpeculo morbo ſe deformatam agnoſcens, ſtibio ſibi mortem infert.

EPIGRAMMA CLXXXI.

EVolat ad ſpeculum nō turpis fœmina, poſtqu
  Aegra diu potuit membra leuare toro.

Aſt

Aſt vbi ſe macie confectam vidit, & vllum
Indicium formæ vix ſupereſſe ſuæ;
Vnguibus ora ſecat, crineſq. abſcindit, & inquit,
Vita ſimul pereat ſi mihi forma perit.
Tum ſibi, quo toties depinxerat ora veneno,
Poſt domitas febres, vltima fata vocat.
Et negat ingratam ſine forma ducere vitam;
Vſque adeo flores, & decus oris amat.

Spica e naſo mulieris Aretinæ prodiens.

EPIGRAMMA CLXXXII.

Fœmineum Spica potuiſſe albeſcere naſum,
Areto quondam garrula fama tulit.
An quia dotalis ſit fœmina ſedula campus,
Naſus vbi placidi collis ad inſtar erit?
In quo flaua Ceres plenis curuatur ariſtis
Et falcem nares diuite meſſe vocant?
Ergo alijs tellus quamuis neget improba meſſes,
Frugibus hæc naſi viuet vbique ſui.

Ad Aſinum comedentem chartam Geographicam recenter agglutinatam.

EPIGRAMMA CLXXXIII.

Charta orbẽ referens telæ modo glutine iuncta,
Quam tibi ridendus paſtus aſelle fuit?
Ore domas Mundũ, ventriſq. in carcere claudis,
Quidquid habet tellus, & Mare quid quid habet
Optat Alexander terris dare iura ſubactis,
Nec valet immenſam pellere corde ſitim.
Tu ſubigis morſu totum fœlicior Orbem;
Es Mundi victor, voce tonante rudis.

Sponſa ſæpius à Paroco interrogata an Sponſo aſſentiatur, ſilet; Frater iratus illam occidit, Amaſius fratrem, Sponſus Amaſium; Amaſij patruelis Sponſum.

EPIGRAMMA CLXXXIV.

ANnuere in Téplo ſponſo noua nupta recuſat,
Et rabida Fratris concidit icta manu;
Protinus in Fratrem fidus conſurgit Amator,
Dumque ſoror vitam deſerit, ille cadit,
Excipit incautum ſponſus furibundus amantem,
Et geminam iuſto vindicat enſe necem.
Ecce repente proco ſponſum Patruelis ad aras
Deijcit, & quarto ſanguine templa madent.
Tu dare tot ſtrages pauidus miraris amorem?
Diſſociant nuſquam fœdera Mors, & Amor.

Tumulus vulpeculæ cicuris Romæ in Collegio germanico à lanio occiſæ.

EPIGRAMMA CLXXXV.

Hoc mœſto feſtiua iacet vulpecula ſaxo,
Germanæ luſus, deliciumque domus.
Hæc ore, hæc oculis, cauda, pedibusque iocoſis
Ludebat, qualis blanda catella ſolet.
Sed caſu Lanij cum naſum dente notaſſet,
Punire hic luſum non timet arte ſua.
Nam potuit miſeram bis, terque allidere muro,
Sparſaque non digno ſanguine fleuit humus.
Nec mirum, mores, quos exuit illa ferinos;
Induit immiti non minor iſte fera.

Vil-

Villa Spadia Via Numentana in fundo olim Phaontis liberti Neronis.

EPIGRAMMA CLXXXVI.

Hic vbi nunc vernant Spadæ cultiſſima rura,
Olim liberti villa Phaontis erat.
Qua Nero pannoſus latuit ſub rupe cauata,
Dum Romæ vltricis tela cruenta fugit.
Sed Nero cum poſſet ſolus punire Neronem,
Hic trepidans, tandem concidit enſe ſuo.
Ergo ne pereat tam iuſti gloria fērri,
Villa hæc, non temerè, Spadia nomen habet.

Ad amicum peſſimo charactere ſcribentem.

EPIGRAMMA CLXXXVII.

Tam malè, quæ formas in triſti verba papyro,
Vt legat, haud nimium Lynceus vllus erit.

Scilicet an Pharijs ſcribas arcana figuris,
Sis Thrax, an Graius, noſcere nemo poteſt
Mentem igitur ſi vis Erebi cælare cateruas,
Conſilia in chartis voce ſilente nota.

Ruſticus herum vicini damnat, quia ſemper ſtudet; ſuum laudat, quia nunquam legit.

EPIGRAMMA CLXXXVIII.

DIc herus iſte tuus cur libros ſæpe volutet?
Scriptaque nulla meus vel celebrata legat?
An meus excultus iam doctis artibus, alto
Ingenio ſpernit, quod tenet ille ſatis?
Indoctuſque tuus cum ſit, palleſcere chartis
Geſtit, & vt diſcat, tot monimenta vorat?
Ceu diu s Meſſor poſita iam falce quieſcit;
Sudat, anhelat inops alter, vt arua metat?

Com-

Commentaria Cæſaris à mure corroſa.

EPIGRAMMA CLXXXIX.

MVs petit audaci pretioſa volumina dente;
Quæ fortunati Cæſaris arma canunt.
Sed fruſtra tentant nocturni rodere mures,
Quod nec tempus edax lædere dente valet.
Quod timuere Maris ſpumantes tangere fluctus,
Nans illud Cæſar cum tulit inter aquas.
Ergo acies, annos, pelagus; dein vincere mures,
Cæſaris an forſan gloria parua fuit?

Mors pro gemma in annulo Card. Homodei.

EPIGRAMMA CXC.

MOrs inſculpta nitet pro gēma diuite in auro,
Et digitos magni Principis irradiat.
Fœlix cui potior gemmis eſt mortiſimago;
Gemmatus Stellis, cum morietur erit.

Carolus Gallorum Rex liberat quendam à laqueo, qui ſeptem vxores acceperat.

EPIGRAMMA CXCI.

VIr nimis, in prima Gallorum vxorius, vrbe,
Ducitur ad laqueũ; dum tuba mæſta ſonat.
Carolus hanc audit, Regni qui flectit habenas,
Et petit, hæc mortem cui tuba ſæua canit?
Reſpondent, hominem, ſeptena coniuge notum,
Ad trabis infauſtæ fata ſuprema trahi.
Tunc Rex exclamat: miſerum citò ſoluite vinclis.
Soluite iam laqueo colla reuincta cruci.
Eſt vxor laqueus, quo vir ſua colla coercet,
Lætatur quoties nubere, mentis inops.
Ergo hũc, qui ſeptẽ laqueis collum intulit vltro,
Octauo inuitum parcite fune mori.

Id-

Idda nobiliſſima Heluetia ex alta ſpecula præceps data, probat caſtitatem ſuam.

EPIGRAMMA CXCII.

IDda maritalem digitis educere in horto
  Sœpe ſolet gemmam, dum colit arte comam.
Surripit hanc furtim coruus, nidoque reponit,
  Sed *Venatori* ſors inimica dedit.
Nam gemmam vxoris munus vir credit amantis,
  Et culpæ ignarum mente furente necat.
Innocuamque Iddam ſpecula deturbat ab alta;
  Lædere ſed caſtam nulla ruina valet.
Illæſa hæc igitur ſurgens, nemora alta requirit,
  Diſcat vbi ſoli viuere nota Deo.
Septem poſt hyemes vir quærens luſtra ferarum,
  Forte antrum retegit quo fera pulcra latet.
Hic vultu exangui, longiſque vmbrata capillis,
  Stramineo recubat flebilis Idda toro;
Obſtupet, & notos agnoſcit frontis honores,
  Qui de velato crinibus ore micant;
Et grauidis oculis, ſubita inter gaudia, fletu,
  Ipſe ſuas iras odit, amatque ſimul.
Tandē multa gemens, veniam pro crimine poſcit,
  Vtque petat, quondam dulcia tecta, rogat.

Illa

Illa negat caras ſiluarum linquere ſedes.
Et ſua vix ſtellis antra minora putat.
O fœlix caſus, coruique optanda rapina,
Perdere ſi lucrum eſt, ſi cecidiſſe leuat.

Scythæ Scanderbechi tumulum venerantur Et eius oſſa arripiunt contra hoſtes amuletum.

EPIGRAMMA CXCIII.

PEruenere Scythæ quo Scanderbegius heros
Victor adhuc, tumulo fulminat enſe pio.
Magnanimumq. ducem proni venerantur in vrna,
Dein auida effodiunt oſſa timenda manu,
Includuntque auro (munimen pectoris ingens)
Atque hæc belligero murmure verba cient.
Oſſa fuere alijs Iouis hæc viuentia fulmen,
Inuictum nobis mortua tegmen erunt.
Nam ſi nec fato ſuccumbit viuida virtus;
Hoſtes quot poteris perdere magne Cinis?

DE-

DEMONSTRATIVORVM

LIBER TERTIVS.

De ſtemmate

INNOCENTII X.

PONT. OPT. MAX.

Cùm Summus Pont. electus eſt dimiſſo bello.

EPIGRAMMA I.

Lilia ver s opes, pacemque columba reportant:
Artes fronde ſua docta Minerua refert.
Er o auri current, hoc Principe, ſæcula terris,
Et Pax ver longum, Palladi iuncta colet.

IN-

INNOCENTIO X.

De cognomine PAMPHILIVS *quod ex Græco Latinè ſonat*
Omnium amator,

EPIGRAMMA II.

(amorem
QVam benè læta ſonant tua nomina, *Pamphili,*
Ingrederis dum tot paſcere Paſtor oues.
Nam tibi ſi munus diſperſum cogere ouile,
Et cari vitam perdere amore gregis;
Pamphilius meritò toto dominatur in orbe,
Qui ſolus cunctos nomen amantis habet.

De eodem cognomine.

EPIGRAMMA III.

CHriſtus ama ter dixit, oues ter paſce, Simoni:
Quando illi imperio flectere cuncta dedit.
At tibi nunc, Petri ſolio ſceptriſque potito,
Dum tua quiſque canit nomina, Chriſtus ait:
Menſuram factis tam magni nominis imple
Pamphili, & hoc, alter tu mihi Petrus eris.

De

De Columba quam præfert.
INNOCENTIVS X. P. O. M.

EPIGRAMMA IV.

FAma eſt, Cyaneas inter volitaſſe columbam,
  Quæ fuit Argoæ dux benè fida ratis.
Tu verò Petri O puppis, magè tuta volabis,
  Saxà per & ſcopulos, per freta longa maris;
Dum tibi *Pamphilÿ*, tremulis plaudentibus alis,
  Aequoream ſignat læta Columba viam.

De eiuſdem Columba.

EPIGRAMMA V.

DVm præit in luco Aeneæ materna columba;
  Auri frondentes arbore carpit opes.
Aurum pura fides, nigris ſed conditur vmbris,
  Quod nullus retegit, dux niſi monſtret iter.
Sed modo, *Pamphilÿ* niuea ducente columba,
  Eſt illi facilis iam patefacta via.

AD INNOCENTIVM X. P. O. M.

EPIGRAMMA VI.

Magne Pater, quæ te fingent noua marmora & æra,
Qui tanto exoriens lumine in orbe micas?
Sed lapides contemne, precor, contemne metalla:
Quando hæc non animum muta referre valent.
Quin eadem cùm tempus edax & ſæcula vincant,
Sola tibi æternus Fama coloſſus erit.

Ad Equitem Berninum, pro ænea ſtatua Vrbani VIII.

EPIGRAMMA VII.

O Quantum, Bernine, tibi noua ſæcula debent
Qui magnum *V*rbanum viuere in ære iubes!
Nam mors, tam ſimili forſan decepta decore,
Pro vero fictum deſtruet artis opus.
Et viuet Princeps longo digniſſimus æuo,
Aerea dum *falſo* funere imago cadet.

Dum

Dum in triremi bini rixantur amici, alter alteri vulnus infert; ſed nummus aureus Vrbani VIII. illum ſeruat illæſum.

EPIGRAMMA VIII.

IRa mouet geminos olim in certamen amicos,
Dum mare per placidum longa carina volat.
Iamque fremens alter ſocium petit enſe, ſed auro
Suſtinet infeſtam plena crumena manum.
Illic fidus erat nummus, ſed imagine fidus,
Quæ ſacra Vrbani Principis ora refert.
Excipit hic prõptus crudũ ſine sãguine vulnus,
Siſtit & immeritam ſculpta figura necem,
Scilicet Vrbani mores imitatur imago;
Cui prodeſſe alijs gloria prima fuit.

De

De opere R.P. Ludouici Florauantij Canonici Regularis Lateranenſis, & Abbatis.

VRBANO OCTAVO

Pont. Max. dicato.

EPIGRÀMMA IX.

SI neſcis, apibus ſunt mellea pocula flores,
Mane vbi rorantes exeruere ſinus,
Sic Florauantus, noſtri flos nobilis æui,
Dat rores apibus, quos habet ille, ſuis:
At vos exiguum floris ne temnite donum,
O Barberinæ gloria gentis apes.

VR-

VRBANO OCTAVO

Idem.

EPIGRAMMA X.

SAlue, hominum rector, Mundi cui credita cu-(ra eſt,
Diuinaſque geris ſolus in orbe vices.
Vrbanos hùc torque oculos, atque inſpice floris,
Hæc apibus forſan munera digna tuis.
Ac terris illæ dum mellea ſæcula fingunt,
Hunc quoque ne florem præteriiſſe iuuet.

Ad Card. Antonium Barberinum S.R.E. Cam.

Pro anno centeſimo Soc. Ieſu, ab ipſo Romæ Regia pompa piè celebrato.

EPIGRAMMA XI.

LApſa redordiris, magis an noua ſæcula condis,
Dũ facis hæc, Princeps, mẽte nec orbe minor?

Sci-

Scilicet hac vna præſtas tu luce, quod ætas
  Nulla priùs cecinit, nulla futura canet.
Credideras forſan ſæclum renouare, ſed aurea
  Pompa hac, iam nobis aurea ſæcla facis.

Aliud.

EPIGRAMMA XII.

Qvid tibi iã referent veniẽtia ſæcula. Princeps,
  Qui potes antiquos ſic reparare dies?
An te ne fugiant labentia tempora, nomen
  Sæcla coronabunt cuncta futura tuum?
An tibi grata ſuam concedent ſæcula vitam,
  Et tu ne pereas, ſæcula mille cadent?
Hoc reor. at vitam quando ſcis reddere ſæclis,
  Mille iterùm viuent nomine ſæcla tuo.

Aliud.

EPIGRAMMA XIII.

O Magne Antoni, famulis cui Gloria pennis
  Seruit, & in laudes explicat ora tuas;
Dum celebras noſtrum pompa tam diuite ſæclum
  Se ſtupet in tanto Principe Roma ſuo.

At-

Atque ait : ó Ciues veteres expungite faſtos,
Et ſit pro faſtis hæc mihi ſola dies.
Quin vobis poſt hac Heros Antonius vnus,
Pompeius, Craſſus, Scipio, Cæſar erit.

Aliud.

EPIGRAMMA XIV.

QVid facis, ó Princeps? peritura vt ſæcula viuāt;
Farneſiū in templum congeris Orbis opes?
Et rutilare iubes tot cerea lumina, Solem
Vt pudeat radios exeruiſſe ſuos:
Et ne nocte minus ſtellato fulgeat orbe,
Huc pro nocturnis ignibus, aſtra vocas.
Totque fides, vocesque ſonant, vt ſidera credam
Pænè omnes ſuperum deſeruiſſe choros.
*I*nſuper Attalico conuiuia ſplendida luxu
Iuſtruis, & menſas dapſilis eſca grauat.
Plurima quin ſemper victura numiſmata cudis,
Ne ſileant noſtros cuncta metalla dies.
Sed benè pro ſæclis facis hæc: nā ſæcula poſt hac,
Facta ſinent nunquam tam memoranda mori.

Fran-

Franciſcus Cardinalis Barberinus in eadem celebritate mittit Patribus puram chartam ſuo nomine ſignatam, vt in ea quæcumque voluerint pro pauperibus petant.

EPIGRAMMA XV.

IAm quoq. noſtra ſuo Franciſcus munere, ſæcla
Venturis annis inuidioſa facit.
Et ne; regali dum rident omnia luxu;
Infœlix inopum turba relicta gemat:
Albam, ſed proprio dotatam nomine, chartam
Mittit, vt hac ſignent quæ voluere Patres.
O cor magnanimum, totoque opulentius auro!
Scilicet hæc Indas pagina vincit opes.
Scripta tuis reſonent iam plura volumina factis
Pura ſed hæc melius te mihi charta canit.

Car-

Cardinalis Antonius Barberinus lautiſſimum conuiuium celebrat Pro Pace inter duos Reges conciliata Octo Cardinalibus, & Hiſpaniarum Legato conuiuis.

EPIGRAMMA XVI.

REgali pluſquam luxu conuiuia curas,
  Dum tua dat Pacis gaudia larga manus.
Nec tales epulas vates ſuper aſtra pararunt,
  Cum ſuperi menſis accubuere Iouis.
Noni vbi conuiuæ, Muſas, aut Numina cæli
  Ore, habitu, lingua, mente referre valent.
Auro vbi & argento ſtellantia tecta refulgent
  Et properant aer, æquora, terra dapes.
Antoni, Heroes quando tua gloria vicit;
  Priſcos Auguſto pectore vince Deos.

Idem Argumentum Ad eundem Cardinalem Antonium Barberinum.

EPIGRAMMA XVII.

TAm laute optatæ celebras conuiuia Pacis,
Vt prope te Regum gloria victa cadat.
Scilicet haud ſimiles menſas Cleopatra parauit,
Cum maris Eoi Bacca ſoluta fuit.
Non adeo inſtruxit cænam Aſſuerus opimam,
Eſther pro Vaſthi cum diadema tulit.
Nec maiora Polus forſan conuiuia vidit,
Iuppiter inſtituit cum ſuper aſtra dapes.
Hic etenim fulgent argenti pondera & auri,
Dulciaque artifici ſigna animata manu.
Hic nitet in gyrum tectorum lucidus ordo,
Et iuuenum pateras ſplendida turba gerit.
Sidereæ hic voces, cæloque ſonantia fila,
Ambroſiæque dapes, nectareumque merum.
Credite pro tali (ſi vera eſt fabula) menſa,
Diui epulas cuperent deſeruiſſe Iouis.

Ad

Ad Cardinalem Spadam, cuius ſtemma lilia deſuper, enſes infrà. Cum ageretur de pace, inter Chriſtianos Reges componenda.

EPIGRAMMA XVIII.

SI gladij bellum, pacem ſi lilia ſignant,
  Qua vi ſunt hæc in ſtemmate iuncta tuo?
An quia tàm pacis, quàm belli flectere habenas,
  Par nulli, aut paucis, mens tua magna valet?
An quia tu pugnas potis es frenare cruentas,
  Tres gladios ideò lilia trina premunt?
Si ſubigunt Enſes igitur tua lilia, mittat
  Te cito, qui Regum ſiſtere bella cupit.

Ad Cardinalem Roccium, cuius Stemma, rubens racemus.

EPIGRAMMA XIX.

Qvam benè ſtēma tibi turget nigrantibus vuis,
  Purpureæ, Rocci, gloria magna Togæ!
Vua etenim mitis dulci eſt gratiſſima ſucco:
  Dulcis es ingenuis moribus ipſe magis.
Illa domat rigidas feruenti nectare mentes:
  Aſpera tu placido pectora amore regis.
Dura acini molles celant vinacia: ſed tu
  Fallaci neſcis condere mente dolos.
Vua rubens fundit roſeos calcata liquores:
  A te (vaticinor) purpura ſacra fluet.

De

De Baſilica Sancti Laurentij, quam Tybure Iulius Cardinalis Roma à fundamentis erexit.

EPIGRAMMA XX.

Culmina iam ſileat Cœlo contermina Tybur;
Seu tua Mecœnas, ſeu mage Vare tua.
Seu quam Regali pro Villa condidit Vrbem
Aelius, vt priſco in Tybure Roma foret,
Clarior his etenim lambit iam ſidera moles,
Quam Roma maior ſurgere *Roma* iubet.
Illis terrarum vicit miracula Roma.
Hac Romæ à *Roma* victa trophæa iacent;
Illic marmoreas veſana ſuperbia pompas
Extulit: at pietas hic ſua Regna tenet.
Temporis illa auidi pridem cecidere triumphus:
Mole ſub hac ſtabili ſæcula victa gement.

Iulius Cardinalis Roma Tybure Templum excitat Diuo Laurentio, proximum dirutis veterum Romanorum villis.

EPIGRAMMA XXI.

HIc, vbi diſiectæ lugent à culmine moles,
Nominis exuuiæ, Roma ſuperba, tui;
Vt iam Roma vetus, *Roma* tibi ſeruiat vni,
Tu noua Laurentis Templa operoſa locas.
Nimirum famam ſaxo fundare perennem,
Roma tibi, ſolum diruta Roma poteſt.

Ad Iulium Cardinalem Romam, qui lilia, & roſas in ſtemmate præfert.

EPIGRAMMA XXII.

LIlia miſta roſis pingunt tua ſtemmata, Iuli,
In medio croceum quæ diadēma gerunt.
Sci-

Scilicet his florum poſuit Deus ipſe coronam;
Germina cùm primùm fundere iuſſit humum.
Chriſtiadum vernat Regnum ceu floridus hortus.
Forſitan hi flores hæc tibi Regna notant.

Quòd nullus Pictor adhùc potuerit ad viuum exprimere Cardinalem Romam.

EPIGRAMMA XXIII.

PIngere iam *Roma* Pictores parcite vultus;
Pingere adhuc potuit quos benè nulla manus.
Nam decor egregius nulla eſt imitabilis arte,
Nec tantum lumen parua tabella capit.
Quin doctis potiùs calamis hũc cedite honorem,
Qui mentem excelſam pingere. & ora valent.
Qui vincunt auidos æui reuolubilis annos.
Longa nec amiſſo ſæcla colore timent.
Nam cui Roma ſuum nomen donauit & oſtrum,
Hac ſibi ſorte pari vincere fata dedit.

Ad Marcellum Cardinalem Lantes, qui tres aquilas in ſtemmate præfert.

EPIGRAMMA XXIV.

Cvm primùm genitrix ſub luminis edidit auras
 Magnum, quo creuit Pella ſuperba, ducem!
Dicuntur geminæ volucres Iouis, aurea circum
 Tecta, alacrem pennis ſæpè dediſſe ſonum.
Scilicet hoc moti dixerunt omine vates,
 Hunc fore, qui regeret Solis vtrumque latus.
At tibi, cui ſemper famularibus incita pennis,
 Trina Iouis, claro in ſtemma plaudit auis:
Tergeminæ Imperium Romana in ſede coronæ,
 Quis Marcelle, mihi præmonuiſſe neget?

In laudem Ioannis Baptiſtæ Rinuccini, poſtea Archiepiſcopi Firmani.

Cùm Doctoratus lauream Peruſiæ ſumpſit.

EPIGRAMMA XXV.

TE quibus adnumerē Tyrrhenæ ò gloria gētis,
 Cui Pallas nulla fecit in arte parem?

Nam,

Nam, ſeu naturæ penetralia condita pandis,
Siue animos morum fingere ab arte placet,
Seu facunda libet decurrere flumina linguæ,
Seù numeris voces iungere; prima tenes.
Seù nexus legum implicitos docto ore reſoluis,
Iuſtitiæ ſacro diceris ore loqui.
Ergo vel Phœnix argutos inter olores,
Vel nouus Aonidum tu cito Phœbus eris.

MVTIVS VITELLESCVS

Anagramma.

Ieſus vult vt ſis mel.
Sicut mel viuet ſuis.

EPIGRAMMA XXVI.

Qvæ puris nunc ſcripta vides tua nomina char-(tis
In noſtro melius corde notauit *Amor*.
Ferrum illi tua lingua fuit, qua pectora vincis
Effera, qua mentes ſub tua iura trahis.
Dumque notis altè ſulcaret *Mutius*, inde
Vitelleſcus, ait, nomina dulce ſonant.
Atque elementa tui confundens nominis, inquit
Sicut mel dulci *viuet* amore *ſuis*.
Inuerſiſque notis iterum in te lumina figens,
Hos breuiter placidos edidit ore ſonos.
Numinis hic adſum miſſus tibi nuncius almi,
Vt ſis mel, *Ieſus* vult in amore tuis.
Viue igitur nobis, Hyblæo dulcior alueo;
Puraque perpetuo, te duce, mella fluant.

MVTIO VITELLESCO

Collegium Romanum inuiſenti, cùm, defunĉto Claudio Aquauiua, eleĉtus eſt Societatis Ieſu Prepoſitus Generalis.

Emblema

Cuius argumentum.

Duo vaſa mellis, quæ dicuntur diuinitùs in aurum verſa, in commodum S. Ioannis eleemoſynarij, ex Baronio, & Aldourando.

Pater Mutius Vitelleſeus.

Anagramma.

Sic puto vas mellis vertet in aurum.

EPIGRAMMA XXVII.

ABſtulerat vim auri quondam Niceta Ioanni,
Sed meliora Deus pondera fulua dedit.

Illi

Illi etenim quidam mellis duo munere vaſa
Miſerat, hæc famulos ipſe aperire iubet.
Cùm mella in flauum cernunr mutata metallum,
Et circum attoniti lumina lenta mouent.
Ite, ait, hoc aurum Nicetæ ferte, Ioannes:
Quodque tulit, videat reſtituiſſe Deum.
Scilicet ille fuit purum modo Claudius aurum,
Mors rapuit nobis aurea membra tamen.
Seruarat ſed mella Deus, nam Mutius ipſa
*V*oce dabat, dulci & nomine mellis opes.
Quare ego diuino perculſus numine dixi,
Mox iterum nobis aurea ſæcla fluent.
Sic puto vas mellis ſuperum, vis *vertet in aurum*,
Et referent auri Mutia mella dies.

Pater Mutius Vitelleſcus Romanus, cùm natus ſit die obitus S. Franciſci Saueriĳ; ex eius nomine naſcitur hoc

Anagramma.

Noſcet ille Sauerius partum ſuum

EPIGRAMMA XXVIII.

Dvm ſuperũ placidè moriens ſubit aurea tẽpla
Sauerius, Cæli lumina prima vides.
Ille animam ingentem teneros inſpirat in artus,
*V*italeſque ſua dat tibi morte vices.

Quin etiam niueos mater tibi ſedula mores
  Fingit, & officio candida corda pari.
Quid nurare igitur, ſi, poſt quã ille occiditHeros,
  In te Sauerium ſurgere Roma videt?
Quare ego lecta Patres agitãt dũ nomina in vrna,
  Mecum multa mouens, talia voce dedi.
Hic hodiè Deus eſt, comites, mora nulla, fidelis
  Sauerius partum noſcet & *ille ſuum*.

MVTIVS VITELLESCVS

Anagramma.

I, Cœlum te vult ſuis.

EPIGRAMMA XXIX.

Dvm propéras, lõga comitũ præeunte caterua,
  Ad tua iam pridem neſcius imperia;
Tunc aliquis magis auguſto te fulgere vultu
  *V*idit, & inſolitum fundere ab ore iubar.
Quare ait: hùc animum ſocij conuertite, mirum
  Cernite, non ſolito Mutius ore micat.
*V*no tunc etenim cuncti tibi diximus ore,
  I, Cœlum te vult imperitare *ſuis*.

Pater Mutius Vitelleſcus.

Anagramma.

Purus es tuis, vti lac, & mel.

EPIGRAMMA XXX.

VSque elementa tui peruerto nominis, vſque
 Lac ſcribit calamus, puraque mella notat.
Quare ego crediderim vel in iſto nomine, mentis
 Virtutes ſuperos occuluiſſe tuæ.
Vlcera mel ſanat, mel dulcia pabula præbet:
 Lac alit, & membris atra venena fugat.
Vlcera ſic tu animi ſanabis, pectore virus
 Sic noſtro pelles, ſic alimenta dabis.
Quin candore animi lacte es tu purior ipſo,
 Ipſo & melle ſacris dulcior eloquijs.
Non igitur mirum, ſi lac mel ſcribitur vſque:
 Namque *vti lac, & mel purus es* ipſe *tuis*.

Nouus Genuæ Portus.

EPIGRAMMA XXXI.

LIttoreas mundi Rector ſtabiliuit arenas,
 Cùm voluit tumido ponere fræna mari.
At Ligurũ Regina potens medio æquore montẽ
 Excitat, vt rabidis ſit noua meta notis.
Vincere nam populos iam dedignata ſuperbos,
 Mole Gigantea eſt æmula facta Dei.

Venetiæ è vitro, caſu fractæ.

EPIGRAMMA XXXII.

E vitro claram Venetam quis finxerat Vrbem,
  Quæ poſt Cæſareas ſplenduit inter opes.
Hac ſtupet attonitus magnus dũ Cæſaris hoſpes.
  In partes, caſu non benè mota, ruit.
Tunc ridens auro non compenſabile damnum,
  Ne mireris, erat vitrea, Cæſar ait.
Artificis ſed culpa fuit, qui debuit ære
  Fingere, quod ſolido firmius ære manet.
Vrbs etenim, æternos quæ ſtat manſura per annos,
  Non erat è fragili conficienda vitro.

De aurea lampade eximiæ magnitudinis, in domo Lauretana, Reip. Venetæ Votum.

EPIGRAMMA XXXIII.

HOſpes, cerne pio fulgentem lumine Solem,
  Hic vbi Laureti tecta beata ſubis.
Aurea nam lampas Sol eſt delapſus Olympo,
  Virginis vt fuluo compleat orbe domum.

Sic

Sic iubet Hadriaci Regnatrix inclyta ponti,
Cui ſtellam exiguum mittere munus erat.
Nimirum *V*enetis Cæli quoque lumina parent,
Gloria queisparua eſt, ponere iura mari.

Idem argumentum.

EPIGRAMMA XXXIV.

COlle ſuper celebri qua Lauretana refulgent
Tecta, vel æthereis digna nitere plagis.
Artis opus raræ, cum pondere diuitis auri,
Aſſiduo lampas lumine clara micat.
Et, vicina vomant flammas licet aurea mille
Munera, & argenti lucida dona grauis:
Ipſa tamen, ſtellas inter ceu Luna minores,
Condere tot geſtit pæne, ſuperba faces.
Quis dederit forſan dona hæc tã ſplẽdida quæris?
*V*rbs fuit, Hadriaci quam maris vnda colit.
Hæc tibi grata ſuum magno cor fuſile Amore,
Hoc auro incluſum, maxima *V*irgo dedit.
Quæris adhuc hoſpes, tantum cur fulgeat? illic
Reginæ Hadriacæ cor pietate micat.

Ioan-

Ioannes Godefridus , Cæſaris Orator .

Cui ſtemma rota .

Anagramma .

Si fas, rotis ingredere Auſonia corda:

EPIGRAMMA XXXV.

O Enotriæ Godefride, parat tibi terra triũphos
I, pete clara rotis Itala Regna tuis.
Et, tibi dum flauis admurmurat Albula ripis,
Auriferoque Padus gurgite fundit aquas:
Reſpice, quas Orbis tenea t tua gloria gentes,
Quos animos placida ſub ditione premas.
Namq; tibi Auſonidũ nam pectora pura Quiritũ,
Cordaque ſincero more recluſa patent.
Si fas, ergo nouo vectus Godefride tripmpho.
Auſonia ingredere ò candida *corda rotis*,

Cùm

Cùm triumphali penè pompa iret in Vaticanum, Cæſaris iuſſa Pontifici expoſiturus: tunc nubilo Cælo Sol nuſquam apparuit: ex quo ſumpta eſt occaſio ſic illum inuitandi in Romanum Collegium.

Ioannes Godefridus.

Anagramma.

Igneos funde radios.

EPIGRAMMA XXXVI.

ADditum Romæ iubar hùc ſerenos
Prome iucundo radios ab ore.
Dum tibi Phœbus Godefride cedit
Lucis honores.
Namque ſtipatus procerum caterua,
Ora cùm manni premeres habena,
Cæſaris Magni expoſiturus almo
Iuſſa Parenti.
De-

Delium vultus veritum coruſcos
*V*idimus curru fugiente nimbos
Inter, & Cæli, nebulas minorem
Abdere lucem.
Ergo, muſarum tua facta Cælo,
*D*um ſacer tollit chorus huc nitentis,
Igneos oris *radios* amico
Lumine *funde*.

Ioanni Godefrido, Epiſ. Bambergenſi, Cæſaris Oratori ad Paulum V. cùm Collegium Rom. inuiſeret.

De reſtitutis ab eo moribus & Religione in Germania.

EPIGRAMMA XXXVII.

FAma eſt, ſed mendax, lapides agitaſſe canendo
Orphea, & Armenias detinuiſſe feras.
Sed virtute animi populos domuiſſe feroces,
Et molliſſe tuo ſaxea corda ſono:
Et fundaſſe nouis euerſas legibus *V*rbes,
Sanctaque polluto iura dediſſe foro:
Hoc verè eſt rigidas traxiſſe ad carmina tigres,
Et muri in faciem ſaxa citaſſe Lyrâ.

Co-

Godefridus.

Cuius ſtemma, niger leo, & rota:

Anagramma.

Fregit duos:

EPIGRAMMA XXXVIII.

NIgranti præfert Godefridus pelle Leonem,
Inſtabilemque gerit nobile ſtemma Rotam,
Perfidiæ domitos etenim notat ille furores,
Fortunæ hæc volucri rapta trophea docet.
Hunc igitur quem tu dices? qui ſolus inermis
Tam validos hoſtes *fregit* in Orbe *Duos*.

Ad Cardinalem Carpineum, qui ludens ad huc puer, fulmine afflatus eſt.

EPIGRAMMA XXXIX.

COncidis afflatus præſagi fulminis igne,
Dum tener innocua ludis ab arte puer.
Sed

Sed non (crede mihi) tam mira tonitrua Cæli,
Irati tecum ſigna fuere Iouis.
Quin, fore te noſcens Romanum fortè Tonantẽ,
Ille tibi fulmen miſit ab axe ſuum.

Hieronymo Grimaldo, Prouinciæ Patrimonij Prolegato; Viterbij tunc degenti nunc S. R. E. Card.

Hieronymus Grimaldus.

Anagramma.

Munus gelidi roris ama.

EPIGRAMMA XL.
Ad Viterbium.

EST gelidi roris ſtillatum ex æthere munus,
Quæ nitet Eoi candida bacca maris.
Sed mage fœlices ſudant tibi ſidera rores;
Vrbs olim Iano nobilitata Patre.
Nam ſuperat lectas rubro de littore conchas,
Tam placido imperio qui tua corda regit,
Ergo noſce tuam fortunatiſſima ſortem,
Et geli di munus nobile *roris ama*.

Vr-

Vrbanis Apibus.

Idem argumentum.

EPIGRAMMA XLI.

QVis roris neget eſſe tui, Tithonia, munus,
Floribus inſidens quod populatur apis?
Sunt meliora tamen, ſi neſcis, munera roris,
Queis modò Viterbi florida terra nitet.
Aſt apibus libanda manēt hæc munera Romæ,
Munera Cecropijs inuidioſa fauis.
Ergo fuge libens apis hos Vrbana liquores,
Et *gelidi munus* ſedula *roris ama*.

Poſt inſtauratam ab eodem Ardentium Academiam Viterbij.

EPIGRAMMA XLII.

ARdentes inter muſas tu pulcher Apollo ès,
Sed non ardentes exeris ore faces.
Quin benè, muſarum gelidus ros temperat ignes,
Qui tibi, ceu claro ex æthere, fronte cadit.
Ne te igitur tuus (Aonidū domus) ardor adurat,
Hoc gelidi roris prouida *munus ama*.

Au-

Auctor.
Eidem Hieronimo Grimaldo:

EPIGRAMMA XLIII.

Hæc tibi dum tenui dictarem carmina vena,
Aeger erã (o Princeps) nõ tamẽ æger Amor.
Tu verò heu nimiũ languenti ignoſce Camœnæ,
Atque ægri nunquam munus amoris ama.

In parentalibus Gregorij XIII.
Collegij Romani Fundatoris.

Emblema.

Cuius argumentum.

Regis Babylonis ædes, in quibus aues quatuor aureæ, dum Regis laudes modulatè canebant, omnes inuitabant ad cantum, ex quo dictæ ſunt Deorum linguæ, apud Rhodig.

EPIGRAMMA XLIV.

EX auro volucres, Babylonis in æde Tyranni,
Fama eſt artifici conciuuiſſe ſono.

Et

Et Regis cantaſſe ſui facta ardua, & omnes
Illius in laudes voce citaſſe viros.
Scilicet hinc volucres, linguas dixere Deorum,
Nam poterant Dio corda ciere modo.
Aſt hac Gregorij Regali in ſede, volucrum
Quis mage vocales deneget eſſe choros?
Teſtis quà Sol exoritur, quaque occidit, iſtis
Alitibus, doctus reddere Gregorium.
O Diuum verè linguæ, quibus vltimus orbis,
Iam didicit veſtrum concinuiſſe Patrem.

Mopſus, nobilis adoleſcens, per iocum in vindemia calcat pedibus vuas.

EPIGRAMMA XLV.

ESt tibi Mopſe iocus, grauidos calcare racemos,
Et premere albenti dulcia vina pede.
Vt mihi pro muſto deſpument nectare labra,
Vina hæc preſſa tuo nam pede nectar erunt.

Franciſco Boncompagno, poſtea Cardinali, Collegium Romanum inuiſenti ipſo die, quo auunculo Gregorio XIII. primùm publicè parentatnm eſt.

EPIGRAMMA XLVI.

GRegorio inferias extinćto hinc reddimus, inde
Lætamur viuum in germine Gregorium.
Hinc dulces cineres lacrymis decoramus, & inde
Iam rediuiua Patris cernere corda iuuat.
Sed riſus gemitum ſuperat: nam gaudia nobis
Plus rediiſſe placet, quàm periiſſe dolet.

Aliud.

EPIGRAMMA XLVII.

HEroum decus eximium, caput exere buſto,
Subnatumque tuum reſpice germen Auus.
Quin mores agnoſce tuos animamq; capacem,
Tecta hæc magnanimo dũ ſubijt ampla gradu
Nam Deus haud voluit totũ te condere in vrnã
Huic iuueni mentem ſed dedit ille tuam.

Aliud

Aliud.

EPIGRAMMA XLVIII.

GRegorium extinctum pudeat fleuiſſe, ſodales,
Triſtiaque optato iuſta d diſſe Patri.
Non etenim iacet ille, noua ſed in indole viuit,
Et mente hac forſan ſe quoque maior erit,
Cùm, ſi fata ſinent, hic ſortem æquabit auitam,
Regnabitque diù mutuus Orbis Amor.

Ad fortiſſimos Duces, qui in Norligenſi victoria occubuerunt.

EPIGRAMMA XLIX.

ITe animæ egregiæ, quà vos interrita virtus
Ducit, & illuſtrem pandit ad aſtra viam.
Sat dedit in terris vobis victoria plauſus,
Sat Gothico per vos ſanguine terra madet.
Vos nobis veſtra peperiſtis morte ſalutem,
Per vos Relligio pænè fugata redit.
Nunc autem vobis reſerat Capitolia Cælum,
Nam valet haud palmas reddere terra pares.

In obitu Patris Hieronymi Piccolominei, amatiſſimi in Philoſophia Præceptoris.

EPIGRAMMA L.

QVò ſine me properas, nimiùm dilecte magiſter
Et partem linquis cur fugitiuè mei?
Si moreris, moriar, nec me fata aſpera terrent,
Nec durum eſt nigros linquere poſſe dies.
Stat tecum vel morte frui, metuenda nec ipſa
Eſt mihi mors triſtis; ſi tibi læta fuit.
Ne poſt hæc igitur longæuo in funere viuam,
Me tecum abripias, & breue funus erit.

Octauio Piccolomineo ſtrenuiſſimo bellorum Duci.

EPIGRAMMA LI.

EXpugnare Vrbes, populos frænare rebelles,
Et premere inuicto colla ſuperba pede.
Cernere ſpumantes hoſtili ſanguine campos,
Prataque congeſtis tecta cadaueribus.

Cæſareos tandem factis æquare triumphos,
Quos olim Rheni vos ſtupuiſtis aquæ.
Hæ tibi ſunt artes Octaui, nobile germen
Italiæ, & Tuſci gloria magna ſoli.
Perge igitur fœlix: nam mox Octauius Orbi,
Clarior Auguſto nomine forſan erit.

Eidem Octauio Piccolomineo.

EPIGRAMMA LII.

TE Bellona ſuis naſcentem excepit in vlnis,
Faſcia ſed Martis balteus ipſe fuit.
Inclyta fœlices inſtruxit Gloria cunas,
Claraque magnanimum lac tibi Fama dedit.
Quid mirare igitur, ſi iam tua bellica virtus
Occupat extremum Solis vtrumque latus?
Si Rhenus Rhodanuſq; timēt, ſi Flandria pallet,
Cùm tua per campos arma cruenta ſonant?
Sternere ſi paſſim victos, ſi rumpere muros,
Nunc tibi ſecurus vel ſolet eſſe iocus?
Par erit ergo noui quę iam tibi pompa triumphi,
Aut quæ tot factis digna trophea tuis?
Nulla, ſuam cedant tibi ni Victoria laurum,
Mars chlamydē, currum Gloria, Phæbus iter.

Oronta, Regia Virgo Cypria, clari morte à pudoris periculo ſe ipſam liberat patriæque vlciſcitur ruinam.

EPIGRAMMA LIII.

CYpria cùm grandi ceciderunt ſceptra ruina,
Seruile ingemuit plurima Virgo iugum.
Has inter, magno nimium memoranda pudore,
Claraque Regali ſanguine Oronta fuit.
Hæc mare dum ſulcat famulas exoſa catenas,
Et vicina ſui damna pudoris; ait:
Quidni ego nitrati ſuccendo pulueris ollas.
Et ſeruo caſtas igne fauente niues?
Iam rea ſum mortis, mortem ſi lenta recuſo:
Nam debet mortem qui timet, ille mori.
Nec mora: flāma cadit ſortē monſtrante lucerna
Quam præfert, miles dum fera nitra mouet.
Diſſiliunt ſubitò exuſti puppiſque viriique:
Conditur & tumulo, qui perit igne, maris.
Sic patriæ euerſæ pœnas ex hoſte recepit,
Sic nouus enituit clarior igne pudor.
Tu tamen Heroum ſoboles, ſed fortior illis;
Aeternum hic viues, ſi mihi tanta licent.
Exemploque tuo forſan noua ſæcula diſcent;
Ne pudor intereat, pulchrius eſſe mori.
Et Veneris quondam ſi Cypria Regna fuere;
Per te iam meliùs Regna pudoris erunt.

Lu-

Luſitanus pro tormentaria glande dentem adhibet.

EPIGRAMMA LIV.

Plumbea Luſiadis torquebat fulmina miles,
Fulmina ab ærato plurima iacta tubo,
Et iam mille ſolo reſupina cadauera victor
Strauerat, ac multa cæde rubebat humus.
Cùm ſubitò horrendæ defecit copia glandis;
Infractuſque iterùm creuit in hoſte vigor.
At contrà, inſuetus vinci imperterritus Heros;
Eſte mihi ò dentes vos, ait, arma, precor.
Ilicet & rupto durum trahit ore molarem,
Aeraq; fulmineo concaua dente grauat.
Nec mora, tela volant conceptis oſſea flammis,
Hinc cadit, inde timens turba inimica fugit.
Græcia nunc ſileat, reſono quæ fulminat ore:
Fulminat hic etenim veriùs ore ſuo.
Quin tu *Vulcani* iam claude, ò Iuppiter, antrum:
Luſiadum dentes nam tibi fulmen erunt.

Equus barbarus miræ velocitatis.

EPIGRAMMA LV.

FIlius eſt auræ, ventorumque æmulus acer,
Qui volat, & terram nec pede ſignat, equus.
Cuius anhelantes mirantur lumina curſus,
Currere ſed pariter lumina nulla valent:
Qui pede ferrato, ceu fulgura clara, fauillas
Spargit: & hinnitu, dum fremit ore, tonat.
Quẽ cuperet proprijs Phœbus iunxiſſe quadrigis,
Sed fugerent curſu tunc breuiore dies.

In natali magni Principis Etruriæ.

EPIGRAMMA LVI.

HVc properate ſimul Cæli vaga ſidera, cunas
Et puero, & magno fingite nexa Duci.
Zonaq. ſignifero præceps voluatur ab axe,
Faſcia quo radians membra tenella liget.
Et dulce inſtillet roſeis lac pura labellis,
Semita, quę niuei nomina lactis habet.
Tum Siren, cui mota ſonat Cæli orbita, fauſtam
Næniolam, repit dum ſopor, vſque canat.
Nã cui Regna Iouis *Quercus Materna* reſeruat,
Vnica ſtellarum cura puellus erit.

Idem

Idem argumentum.

EPIGRAMMA LVII.

OMnia cogantur vaſtis fornacibus æra:
 Cæſaque decurrant marmora cuncta iugis.
Magnum etnim fœlix Heroem protulit Arnus:
 Cuius facta terent ſaxa, metalla, manus,
Huic *Ferdinandus* pater eſt, *Victoria* mater:
 Nam *Ferro Victor* maximus orbis erit.

Poſtulat ab Albuquerquio Rex Indorum tributum: at ille Regi mittit plumbeas pilas in diſco.

EPIGRAMMA LVIII.

A Duce Luſiadum Rex Indus poſtulat aurum:
 Mittit at ille pilas, plumbea tela necis.
Atque ait: hæc belli ſint inſtrumenta, tributum,
 Quod tibi non aurum, ſed tua fata feret.
Nimirum, mens magna, truci ne ſeruiat hoſti
 Mortem illi aut infert; aut generoſa ſubit.

Ad librum Ioanni Nardi, Medici eximij, de Rore.

EPIGRAMMA LIX.

FLos nullus poſthac iactet ſua munera roris:
Nam quidquid rorant ſidera, Nardus habet.
Hanc vnam ſugant igitur, qui mella requirunt:
Sat cunctis apibus roſcida Nardus erit.

Iuueni Poetæ nobili, cuius ſtemma herinaceus intuens ſtellam.

EPIGRAMMA LX.

PRouocat vt fulgens oculis herinacius aſtrum,
Nec timet ardentis lucida tela facis;
Sic quoq. tu iuuenis doctæ in certamina pugnæ,
Sidera Permeſſi lucidiora vocas:
Dumq. vocas, vincis: dulcis nã murmura Cyrrhæ,
Pieridesque tua voce canente ſilent.
Quòd ſi fortè parum tibi ſit viciſſe Camœnas;
Mox tibi Dircœam cedet Apollo Lyram.

Ma-

Maria Galliarum Regina, Henrici Quarti coniux cadit in Sequanam: ſed illam arreptis comis famulus ſeruat.

EPIGRAMMA LXI.

FOrtè potens Regina cadit, quâ Sequana lætus;
Excipit, vndarum dum putat eſſe Deam.
Interea hanc rapidus vortex pœnè abripit, illam
Cùm puer arreptis crinibus inde trahit.
Gallia ſed pariter tota hoc ſeruata capillo eſt,
Quare iterum dici iure comata poteſt.

Aliud.

EPIGRAMMA LXII.

REginam lapſo mergebat Sequana curru:
Nam petit, & Regum ſors inimica caput.
Ilicet accurrit famulus: ſtrictiſque capillis,
Subtrahit vndoſæ Regia colla neci.
O coma Fortunæ fœlici vertice digna,
Digna vel æthereas irradiare plagas!
Te tamen hiſce comis iuuenum fidiſſime, credam
Fortunæ crines arripuiſſe tuæ,

De Villa Aldobrandina, in Tuſculano.

EPIGRAMMA LXIII.

Qvi magnæ attonitus ſpectas miracula Villæ,
 Diſce hinc delicijs obſtupuiſſe nouis;
Muſarumque domos, Pæſtique roſaria temne,
 Heſperidumque Hortos, Alcinoique nemus.
Et dum naturæ nullis data munera terris;
 Et cultum inſolita ſuſpicis arte locum;
Dic, rura hic quondam primæuo ablata Parenti,
 Aldobrandinis reſtituiſſe Deum.

In laudem libri cuiuſdam Iuriſperiti.

EPIGRAMMA LXIV.

Qvi cupis euerſas componere legibus vrbes,
 Sanctaque polluto reddere iura foro;
Hos iuuet arcanos iuris reſerare receſſus,
 Iuſtitiæque ſacro fonte leuare ſitim,
Hæc haud mortalis tibi pocula dextra propinat,
 Sed larga Aſtreæ donat habere manus.

De

De Gyraldi opere.

EPIGRAMMA LXV.

VNo fonte cadit, quæ mox diuerſa pererrat
Areolas vdis lympha voluminibus.
Diuite ſic etiam currit ſapientia vena,
Quæ modo non vna diffluit vſque via.
Fons eſt Gyraldus, vario qui tramite currens,
Virtutum puris pectora rorat aquis.
Fœlices, hæc illimis quos irrigat vnda!
Aeterni poterunt veris honore frui.

Cæſar.

EPIGRAMMA LXVI.

ENſis erat calamus, calamus ſed fortior enſis;
Et fœlix victor Cæſar vtroque fuit.
Enſis in aduerſis deſcripſit funera campis,
Mors calami æterni cuſpide victa iacet.
Bellator duplici ſic fortunatus honore,
Pugnauit calamo, ſcripſit & enſe neces.

Pompeius.

EPIGRAMMA LXVII.

Ipſa ſibi frontis crines Fortuna recidit,
 Cùm tibi, Pompei, demetit enſe caput.
Dumq; tuum ſternit reſupinum littore truncum,
 Tacta ſuo in terram vulnere cæca ruit.
Hoc vno ſed tu fœlix, quòd funere in iſto,
 Fortunæ tecum gloria tota cadit.

Scipio.

EPIGRAMMA LXVIII.

Vincere victorem Italiæ tibi gloria parua eſt;
 Si vincis te, quem vincere nemo poteſt.
Pulchra nimis teſtis Sponſa, & captiua puella,
 A te miſſa ſuo non violata viro.
Nam, ſi mente vales ſenſus domuiſſe rebelles,
 Nil fuit, Hannibalem te domuiſſe trucem.

Ale-

Alexander Magnus.

EPIGRAMMA LXIX.

EGregios Orbi narret mea fama triumphos,
Et domitam ferro Solis vtramque domum.
Sors mecum, & *V*irtus, fidæ creuere ſorores,
*V*rbs mihi Pella fuit, Iuppiter ipſe Pater.
Sed mè regnandi tenuit tam dira cupido,
Vt fuerit cupido pectore terra minor.

Aliud.

EPIGRAMMA LXX.

QVot fortes domui populos in flore iuuentæ?
Regna meæ validæ quot rapuere manus?
Non virtus, non arma mihi, ſed defuit Orbis,
Ingenti eſt viſus qui mihi mente minor.
Sol ſtupuit noſtros oriens morienſque triumphos,
Et leue, me præter, vincere cuncta fuit.

An-

Pompeius.

EPIGRAMMA LXVII.

IPſa ſibi frontis crines Fortuna recidit,
Cùm tibi, Pompei, demetit enſe caput.
Dumq; tuum ſternit reſupinum littore truncum,
Tacta ſuo in terram vulnere cæca ruit.
Hoc vno ſed tu fœlix, quòd funere in iſto,
Fortunæ tecum gloria tota cadit.

Scipio.

EPIGRAMMA LXVIII.

VIncere victorem Italiæ tibi gloria parua eſt;
Si vincis te, quem vincere nemo poteſt.
Pulchra nimis teſtis Sponſa, & captiua puella,
A te miſſa ſuo non violata viro.
Nam, ſi mente vales ſenſus domuiſſe rebelles,
Nil fuit, Hannibalem te domuiſſe trucem.

Ale-

Alexander Magnus.

EPIGRAMMA LXIX.

EGregios Orbi narret mea fama triumphos,
Et domitam ferro Solis vtramque domum.
Sors mecum,& Virtus, fidæ creuere ſorores,
Vrbs mihi Pella fuit,Iuppiter ipſe Pater
Sed mè regnandi tenuit tam dira cupido,
Vt fuerit cupido pectore terra minor.

Aliud.

EPIGRAMMA LXX.

QVot fortes domui populos in flore iuuentæ?
Regna meæ validæ quot rapuere manus?
Non virtus, non arma mihi, ſed defuit Orbis,
Ingenti eſt viſus qui mihi mente minor.
Sol ſtupuit noſtros oriens morienſque triumphos,
Et leue,me præter, vincere cuncta fuit.

An-

Hannibalis imago.

EPIGRAMMA LXXI.

(Alpes
HIc ille eſt, Cannæ, Threbiæ, Thraſimenus, &
Inuictum bello quem tremuere Ducem :
Sæpiùs ciatis cuius victricibus armis .
Pœnorum timuit Roma ſubire iugum .
Qui ſi etiam de ſe tandem ſpolia ampla tuliſſet,
Hannibal, haud vno ſe minor, ipſe foret.

Artemiſia.

EPIGRAMMA LXXII.

ALta ſepulcra tibi lucentia marmora condant,
Aeraque præclara viuere iuſſa manu .
Ipſa tibi ponam, Mauſole, hanc pectoris vrnam,
Atque Amor huic operi Dędalus alter erit .

Cleo-

Cleopatra.

EPIGRAMMA LXXIII.

QVis furor in mortẽ, infœlix Regina, Canopi
Te rapit, admotis anguibus vberibus?
Si cupis ingratæ conſima rumpere vitæ,
Angue, amor Antoni, mox tibi peior erit.
Hic cito, ne dubita, ſparget tua corda veneno,
Et ſic durus amor, ſæuior anguis erit.

Lucretia.

EPIGRAMMA LXXIV.

ROmanæ decus egregium Lucretia formæ,
Quo tibi nunc inferς acta furore manus?
Forſitan amiſſum gladio reparare pudorem
Credis, & hac maculas morte abolere tuas?
Erras, namque pudor nulla eſt reparabilis arte,
Tollere, nec ſanguis dedecus iſte poteſt.
Quin hac ſi potiùs ſeruaſſes morte pudorem.
Quam mage caſta fores, & mage clara ſimul?

Nar-

Narciſſus.

EPIGRAMMA LXXV.

Qvid vano, Narciſſe, peris deluſus amore,
Dum formā ſequeris, quam tenet vnda, tuā?
Tam vicina tibi eſt, quam tu tibi proximus, illam
Si cupis, eſt vnum te tenuiſſe ſatis.
Sed cui cor propria eripuit glacialis imago;
Extra ſe meritò, ſe malè quærit aquis.

Narciſſus.

EPIGRAMMA LXXVI.

NArciſſus ſitiens vitreis ſuper incubat vndis,
Et ſeſe ad flammas allicit ipſe ſuas.
Et ſcopus, & iaculum veſani factus amoris;
Quot fugiunt, in ſe tela retorta vocat.
O formoſe puer, nimium tibi crudule, ficta
Quem ſpecies vero perdit amore ſui.
Quid faciet viuos oris ſpectare nitores,
Si te forma miſer vel tua falſa necat?

Tabula à Guido Rheno depicta.

EPIGRAMMA LXXVII.

NI fallunt oculi,depicta hæc viuit imago:
  Senſus ineſt membris,& quaſi labra ſonant.
At, ſi hæc ſentiret, voceſque emittere ore.
  Egregiæ mirum , non foret artis opus ,
Quin ſtupor eſt,careat quod ſẽſu,& voce ſonora;
  Cùm viuat digitis, Guide, animata tuis.

Tumulus Guidi Rheni.

EPIGRAMMA LXXVIII.

DEfluite in lacrymas,& in vmbras ite, colores:
  Et tabulæ, & telæ iam ſua fata gemant.
Scilicet occubuit qui vos animare valebat ,
  Et veros muto fingere in ore ſonos.
Artem pingendi poſt hac ne quære, viator:
  Cum Guido hic Rheno nam tumulata iacet.

Aliud

Aliud.

EPIGRAMMA LXXIX.

Occubat ore ſilens hac Guido Rhenus in vrna,
Tam bene qui docuit labra colore loqui.
Sed quot ſpiranti depinxit lumine vultus,
Tot linguis illum fama loquetur anus.
Guide igitur ſileas tutus quando, omne per æuũ,
Plurima te cunctis picta tabella canet.

Petro Martyri Merlino Laureti Præfecto cuius ſtemma Turris.

EPIGRAMMA LXXX.

MIrata eſt quondam turritam Roma coronam:
Quam Cybele Diuum maxima ſola tulit.
Scilicet illa dabat cunctas Regnare per Vrbes,
Turrigeriſque orbi ponere iura comis.
O vtinam turris quam claro in ſtĕmate præfers,
Non ſerum frontis ſit diadema tuæ.
Hæc tibi nam Regnum pinnis prenunciat altis,
Turritum media cum caput vrbe feres.

Re-

Robertus Guiſcardus Normannus Siciliæ Calabriæ & Apuliæ Dux, accenſis ignibus in pluribus Vrbis locis Gregorium VII. in Arce S. Angeli obſeſſum liberat: & Ioſeph Deaceto Marchio Dattici egregiæ indolis adoleſceus ex eadem ſtirpe genitus prò Vrbano VIII. bella gerens ſtrenuè occumbit.

EPIGRAMMA LXXXI.

GRegoriũ obſeſsũ prudẽs Guiſcardus in *Vrbe*
Liberat, accenſo pluribus igne locis.
Par illi at Ioſeph, Normanna è ſtirpe creatus,
Vrbanum fuſo ſanguine ab hoſte tegit.
Ille ignem Martis cumulatis ignibus arcet;
Hic proprio vt pereant bella cruore, cadit.
Mors fœlix, quæ dum ſeruat cũ Principe Romã,
Clarior ingenti quolibet igne fuit.

Caſimirus Regis Poloniæ frater Soc. Ieſu ingreditur.

EPIGRAMMA LXXXII.

Fama eſt depoſito lucis diademate Phæbum,
  Paſtorum viles incoluiſſe caſas.
At nunc Sarmatici ſol & ſpes altera Regni,
  Paupere veſte libens regia membra tegit.
Ille fugit ſtellas, armenta vt Theſſala ducat;
  Deſpicit hic Regnum, ſidera vt alta regat.

Digitized by Google

Caſimirus Micislai Regis Poloniæ filius Monachus Cluniacenſis annuente Benedicto IX. ad Poloniæ ſceptrum euocatur Anno M.XLI. & Caſimirus Regis Poloniæ, & Suéciæ frater Societatem Ieſu ingreditur Anno M. DC. XLIII.

EPIGRAMMA LXXXIII.

CLuniacis Caſimirum olim Polonia clauſtris
 Euocat, Imperio qui ſua Regna premat.
Nunc eadem, vt Regis iacturam Rege rependat,
 Reſtituit Chriſti te Caſimire iugo.
Ille capit iuſſus Regnum, tù ſponte relinquis,
 Ille aufert clauſtris ſceptra, ſed ipſe refers.

De eodem Caſimiro.

EPIGRAMMA LXXXIV.

CLuniacis quondã raptus Caſimirus ab antris,
Sarmatici tenuit ſceptra opulenta ſoli.
At nunc illius mentiſque & nominis hæres
Sceptra eadem ſpernit dum pia clauſtra petit;
Ne ſacra in terris cælum referentia tecta,
Alterno Regum lumine caſſa gemant:
Et redimat Chriſto Regem, dum Regna recuſat,
Polluciſque nouò vincat honore vices.

Ad Cardinalem Carpineum. Quem adhuc puerum equus raptauit illæſum.

EPIGRAMMA LXXXV.

Qvadrupedes nõ doctus adhuc frænare ſuperbos
Volueris, & fugiens tẽ male raptat equus.
Te tamẽ haud ſonipes, haud ſaxa imperuia lædũt;
Sed manibus defert aura benigna ſuis.
Eſt fortuna igitur tibi ſi tam fida cadenti;
Dum ſtas inſignis murice, qualis erit?

De

De Pace compoſita inter Vrbanum VIII. & Italiæ Principes per Card. Bichium: cum ille apes, iſte leonis ceruicem præferat.

EPIGRAMMA LXXXVI.

EXtincti fabricauit apis mel in ore leonis,
Et quod fecit apis, mox dedit ore leo.
Nunc eadem pacis componit mella; ſed iſta
Bichius abſciſſo promit ab ore leo.

Ad Card. Bichium in Vrbem pace compoſita redeuntem, cuius ſtemma Aquila, & Leonis ceruix.

EPIGRAMMA LXXXVII.

MEllis apes fundant currentia munera riuis,
Et pleno Tybris gurgite lacte fluat.

Sci-

Scilicet ingentis belli refluentibus vndis,
  Dulcia iam pacis gaudia Roma vides.
Sed tibi non ramo, vt quondam, fœlilicis oliuæ,
  Fœdera læta ferens alba columba venit.
Bichia quin oleam portat Regina volucrum,
  Et Leo diſſectus mella cupita gerit.

Ad Card. Spadam cuius ſtemma gladij tres totidemq. lilia, qui Tybure villam habet, conſtantem turribus, nemore, hortis, & ædibus.

EPIGRAMMA LXXXVIII.

HIc turres non ære tonant, non arma miniſtant,
  Mitis & hæc nemorum non alit vmbra feras.
Culti abigunt horti ſeruantem poma draconem,
  Nec tenebras ſemper tecta ſerena timent.
Sed nemus eſt Driadũ, doctæ ſunt Palladis arces,
  Muſæ hortos ſeruant; regnat Apollo domi.
Hoc duce Mauortem dediſcunt omnia; trino
  Nam gladio, pacis lilia ſola metit.

Cum Vrbanus VIII. renunciauit Cardinalem Io. *de Lugo Societatis Ieſu.*

Qui vrticas in ſtemmate præfert.

EPIGRAMMA LXXXIX.

Qvis neget vrticas Regũ ſplēdeſcere in hortis
Et poſſe Hyblæi vincere veris opes?
Si modo purpureis adiunctæ Patribus, ornant
Tam bene Romani læta vireta ſoli.
Scilicet *Vrbano* terras ditante colono,
Ferre vel vrticæ iam didicere roſas.

Dum bella vigent inter Galliæ, & Hiſpaniæ Reges, Vrbanus VIII. pronunciat Cardinales Achillem de Valence Gallum belli ducem eximium: & Io: de Lugo Hiſpanum Societatis Ieſu inſignem Theologum.

EPIGRAMMA XC.

CVm Gallo Hiſpanus Romano iungitur oſtro,
Et gaudent bello Regna agitata diu.
Sanguineus docta ſociatur Pallade Mauors,
Hiſpanum calamum Gallica geſa iuuant.
Vrbani an magni mens iam præſaga futuri,
Hos iunxit Regum pacis in auſpicium?

Car-

Cardinalis de Lugo Soc. Ieſu, ingens lineum munus recuſat.

EPIGRAMMA XCI.

Contemnit Batauæ ditiſſima munera telæ,
Oſtro vir magnus, nec pietate minor:
Atque ait, inuitum quando me Purpura veſtit;
Lina hæc non ſaltem tam pretioſa tegant.
Ne tenuem iungens claro cum murice biſſum,
Dein ſtygijs flammis, diues vt ille, vorer.

CAMILLO PAMPHILIO
Dum ei Roma plauderet in patrui INNOCENTII X. *inauguratione.*

EPIGRAMMA XCII.

Vertitur in crimen redeūti â cæde Camillo, Plut. in vi ta Ca mil.
Quod media niueis *Vrbe* triūphat equis.
At nūc ingeminat plauſus tibi Roma Camille,
Te quia pacis amans alba Columba vehit.
Sic qui culpa fuit, tibi fit noua gloria candor;
Nam ſine cæde tuus corda triumphat Amor.

Regina Hiſpaniarum Aprum in venatione ſua manu occidit.

EPIGRAMMA XCIII.

STrauit Aprum ferro Regina volatile Ibera,
Nec poterat fato nobiliore mori.
Mox ſed mille canes incaſſum ſœpè latrarunt,
Nam tota in Silua non erat vllus aper.
Nimirum fama eſt, Omnes cecidiſſe peremptos;
Ferro vnum, reliquos morſibus inuidiæ.

Vel inter remigantes vitam agere cupiebat, vt Card. Chiſius, nunc ALEXANDER VII. *eligeretur.*

EPIGRAMMA XCIV.

OPtaui addictam remis impendere vitam,
Vt Chiſio Régnum ſudor amantis emat.
Audijt omnipotens; quin vicit vota precantis,
Et mihi de cælo gaudia bina tulit

Nam

Nam *V*aticano Chiſio iam Principe lætor,
  Nec vinctus remis findere cogor aquas.
Sed nunc adde meos illi, rerum arbiter, annos,
  Longius, vt vitæ tempora longa trahat.
Sic in Alexandro viuam fœlicius æuum,
  Et mea florebit, non mea vita, diù.

ALEXANDRI VII. Inſignia

Stella in vertice ſex Montium, & aurea quercus.

EPIGRAMMA XCV.

SYdera qui lâbunt Montes atq; aurea quercus
  Principe Alexandro ſæcla beata canunt.
Cum duræ quercus fundent pro glandibus aurũ,
  Et virtus clarum tollet in aſtra caput.
Nam nouus iſte Atlas, humero, quẽ ſuſtinet axem,
  Scandere ſex iunctis dat tibi Roma iugis.

Aliud.

EPIGRAMMA XCVI.

Avrea iam redeunt Romanis ſecula terris,
Aurea quando etiam te duce quercus erit.
Septenoſque ſuper deſcendunt ſydera colles,
Fitque ſub Heroum Principe terra, Polus.
Nam quid erat fuluo campos frondere metallo,
Aemula ſyderibus niquoque Roma foret?

Intumuit Tybris
Cum Flauius Cardinalis Chiſius ALEXANDER VII. *ex fratre nepos Eccleſiaſticæ ditionis adminiſter eſt renuntiatus*.

EPIGRAMMA XCVII.

VIx humeros didicit ſupponere Flauius Orbi,
Vt ſacro Atlanti pondera vaſta leuet.
Cum quercu aurifera flaueſcunt Tybridis vndæ,
Aurea nec tumidas ripa coercet opes.

Iam-

Iamque illi Ganges,& Lydius inuidet Hermus
Et cedit fului diues arena Tagi.
Dunique fiuet poſthac non ficto turbidus auro;
Te Flaui melius Principe flauus erit.

Inſignia expoſita in templo S. Petri magnificentiſsimè exornato. Cum pene triumphali pompa illud ingreſſa eſt, poſt acceptam Catholicam fidem, Chriſtina Sueciæ Regina. Epigrammatis hic explicata

Corpus

Margheritæ maiores, ſiuè elenchi in filum inducti

Anima

Pretium de Matre relicta.

EPIGRAMMA XCVIII.

Est Margaritis *pretium de Matre relicta*
Quas concha ignoto clauſerat ante ſinu.

Dat Chriſtina tibi pretium,nomenque ſuperbum,
Et Matrem & patrios deſeruiſſe lares.
Namq; tuum natiua decus,quod regna tegebant,
Sit modo quam magnũ, Regna relicta docent.

Corpus

Ramoſa corallia in nobili vaſe

Anima

Mollis fuit herba ſub vndis.

Ouid. Met. 15.

EPIGRAMMA XCIX.

HErba fuit mollis pelagi nutrita ſub vndis,
Qui modo purpureo ſplendet honore lapis.
Talis erat cæco Chriſtina immerſa profundo,
Inde illam Domini, cum rapuere manus.
At nunc duritie, formaq. corallia vincit,
Et nitet Aſſirio murice pulchra magis.
Aequoreas Mundi fœlix, qui deſerit vndas;
Gemma erit illuſtris, ſi prius herba fuit.

Cor-

Corpus

Nodus Gordianus

Anima

Soluet ALEXANDER.

EPIGRAMMA C.

A Strinxit nodum mira, quem Gordius arte,
Soluit Alexander ſorte, vel enſe ſecat.
Implicitos nexus, qui te Chriſtina tenebant,
Septimi Alexandri diſſoluere manus.
Nempe tua, vt citius fortiſſima vincula rumpat,
Alterum Alexandrum miſit ab axe Deus,

Corpus

Arbor putata

Anima

Pomis per damna graueſcet.

EPIGRAMMA CI.

INfœcunda parens, *pomis per damna graueſcet,*
Plurima ſi ferro brachia ſecta cadant.

Hæc vanas dimittit opes, & inutile Regnum,
*V*irtutum, vt referat dulcia poma Deo.
Tu magna interea Regina, hoc diſce, Magiſtra,
Quæ dimiſſa iuuant, ſœpe retenta nocent.

Corpus

Mala punica ſole percuſſa, & aperta nimis

Anima

Depauperat æſtus.

EPIGRAMMA CII.

PVnica mala vides, quæ ſol *depauperat æſtu*;
Dum clamidem ſcindit, dum diadema ſecat,
Dum gaudet clauſos furtis reſeraſſe pyropos,
Et viduaſſe opibus Regia poma ſuis.
Non ſecus ætherei depauperat æſtus amoris
Reginam, Regnum quæ generoſa fugit.
*V*iue beata tamen, ſi te facit æſtus egenam,
Nam qui parua rapit, maxima reddet Amor.

Cor-

Corpus

Pergulana Vitis auulſis frondibus & vuis Soli expoſitis

Anima

Vt matureſcant.

EPIGRAMMA CIII.

VT *matureſcant* viduantur frondibus vuæ
Denſa quibus, ſolẽ dum vetat, vmbra nocet.
Tu Regale decus, pompaſque relinquis inanes
Chriſtina, vt liceat ſole patente frui.
Vnde trahas dulces Phœbo dilecta ſapores,
Quos pro ſydereo nectare, potat Amor.
Scilicet ille Deo reddit dulciſſima vina,
Pampinea cœlum, cui ſine fraude patet.

Corpus

Lauri detonſæ

Anima

Creſcent melius .

EPIGRAMMA CIV.

SI *melius creſcunt* decuſſo vertice lauri,
Detonſiſque comis gratior vmbra cadit.
Clarior abiecta ſurget Chriſtina corona,
Augebitque ſuum frons viduata decus
Quin vincet nudata caput', vel ſydera cæli;
Et radios temnet Phœbe comate tuos.
Rex amet ergo minus Regalia culmina, quando
Regia plus Regno, ſpreta corona iuuat.

Cor-

Corpus

Accipiter detracto oculorum apercu-lo nexus rumpit, & auolat.

Anima

Addit lux addita vires.

EPIGRAMMA CV.

ACcipitri validas *addit lux addita vires*,
Tollit vbi ex oculis tegmina cœca ſuis;
Arripienſque fugam conſtrictos liberat vngues,
Et penna ventis ocior, aſtra petit.
Sic pellit Chriſtina ſuæ dum nubila mentis,
Addita lux, vires addit ab axe nouas.
His cito diſrumpens opulenti vincula Regni,
Euolat ad Petri, non reditura, pedes.
Et videt, atque viget Romana luce coruſcans,
Qua ſine nemo videt, qua ſine nemo viget.

Cor-

Corpus

Nauis in tempeſtate, eiectis mercibus

Anima

Affert iactura ſalutem.

EPIGRAMMA CVI.

MErcibus eiectis, *affert iactura ſalutem*,
Cum pauet in tumido Nauis onuſta ſalo.
Tu bene cauta timens Mũdi Chriſtina procellas,
Te regno properas exonerare graui.
E cælo donec placidis ſpirantibus auris,
Romana incolumis littora amata tenes.
Nam pelagi inſanos fluctus, ventoſque furentes,
Si grauis eſt auro, rara carina fugit.

Cor-

Corpus

Labyrintus

Anima

Fidei filo.

EPIGRAMMA CVII.

Dædalus implexa labyrintum finxerat arte,
E quo vix reperit filo *A*riadna fugam.
Tu varijs Chriſtina dolis decepta viarum,
Haud poteras tutam carpere ad aſtra viam;
Cum Deus ecce tibi fidei dedit aurea fila,
Tot quibus ambages explicuiſſe vales.
Nam ſi mille dolos menti fallacia nectat,
Mille dolos *fidei* ſoluere *fila* docent.

Cor-

Corpus

Stellæ Pleiades ſeptem cum Vrſa cæleſti

Anima

Oceani ſpretos pede reppulit amnes.
Virg. 4. Giorg.

EPIGRAMMA CVIII.

PLeias *Oceani ſpreto pede reppulit amnes.*
Sunt ficta hæc, ſed tu verius iſta facis.
Quippe tua Oceani glacialia Regna repellis;
Et pede, te maior, Regia ſceptra teris.
Ergo *V*ergilijs gelido tu dignior axe;
*V*erius Oceani, quæ pede ſpernis opes.

Corpus

Papyraceus tubus ignitus per aera volans

Anima

Quia feruidus intus.

EPIGRAMMA CIX.

PVluereus petit aſtra tubus, *quia feruidus intus;*
Nec minus iſta volat dum cor amore calet.
Ne mirere igitur patrias ſi deſerit arctos,
Vt colat Auſonij diſſita Regna Patris.
Scilicet æthereas illi calor addidit alas:
Quando Amor abrũpit, quas timet ipſe moras.

Cor-

Corpus

Auis Indica Monucodia, ſiue auis Paradiſi quæ viuit in aere, nec vnquam terram tangit

Anima

Non quæ ſuper Terram.

Ad Coloſſ. 3.

EPIGRAMMA CX.

VErſicolor populis auis eſt notiſſima Eois,
 Quæ refugit terras tangere, amica Polo.
Sed melius, quæ ſunt ſurſum Chriſtina requirit,
 Quæque ſuper terram ſpernere docta, fugit.
Nam cupiens animo volitare per æthera, linquit
 Diuitias terræ, diuitiaſque Maris.
Fortunata ales, quæ terras ſponte peroſa,
 Sydereum Phœbo proxima radit iter.

Cor·

Corpus

Aurora naſcens

Anima

De Tenebris.

1. Ad Corint. 4.

EPIGRAMMA CXL.

DE *tenebris* olim dixit ſplendeſcere lumen
Aeterno imperio, qui regit aſtra Deus.
Nunc aliam Aurorã Oceano tenebriſq; relictis,
Iuſſit ab Arcturo luce nitere noua.
Quam cum Roma vias ſpargentem lumine cernit,
Obſtupet attonita mente, nec ora mouet.
Tu noctem elapſam compone nitoribus iſtis,
Et noſces, tenebras quam repuliſſe iuuet.

Corpus

Fides manu tacta, quæ ex oppoſito monte magnum lapidem trahit.

Anima

Sola fides trahit.

EPIGRAMMA CXII.

Sæpè fide Amphion obſtantia marmora traxit;
Iuſſit & in muri membra coire ſono.
Te Romana fides Gothicis de Montibus aufert
Chriſtina, vt niteat te domus aucta Dei.
Scilicet Auguſto fidei ſuperaddita templo,
Aut lapis, aut Adamas, aut mage ſydus eris.

Suetiæ Reginæ Regnum abdicanti.

EPIGRAMMA CXIII.

Exculto ingenio nulli es Chriſtina ſecunda;
Et tua commendat forma virile decus.

Tu

Tu claris bello populis es nata regendis;
    Te ſponſam Reges quot cupiere ſuam?
Regales tamen ipſa toros exoſa, relinquis
    Tot Patris inuicta Regna ſubacta manu.
Teque iuuat ſolum doctas euoluere chartas,
    Et numquam ſegni virginitate frui,
Donec Alexandri fidis ducentibus aſtris,
    Illius optatos volueris ante pedes.
An noua tu Pallas priſca vel Pallade maior?
    An vetus ad Populos docta Magiſtra redis?
Seu noua, ſeu vetus es; debent tibi ſydera cœlum,
    Pallas quando inter ſydera nulla micat.

Eidem Reginæ Regnum abdicanti.

EPIGRAMMA CXIV.

ERgo tibi Genitor Guſtauus mille triumphis,
    Deuictos populos, & noua Regna parat,
Vt ſpernat Regina libens ingentibus auſis
    Quæ Pater immenſo ſanguine victor emit?
Vt Virgo, quæ Regna fugit, thalamumq. recuſat
    Sit maior, quam qui plurima Regna domat?

Eidem Romam ingredienti.

EPIGRAMMA CXV.

REgibus ò Maior, Regnis Chriſtina relictis,
  Quæ tibi pandit Amor Romula corda ſubi.
Dumque tuo plaudunt capitolia læta triumpho,
  Et ſeptem geminis collibus æra tonant;
Regalemq. tui vultus viſura decorem,
  Denſa replet ſtratas turba Quirina vias:
Tu Regno ſponte amiſſo te crede beatam;
  Si fert iu Regnum cor tibi Roma ſuum.

In aduentu Sueciæ Reginæ Ad Romam vaſtatam olim a Gothis.

EPIGRAMMA CXVI.

VOs Gothici ò Teſtes herboſa theatra furoris,
  Tuque hac hoſtili diruta Roma manu;
Incipe nunc tandem vultu geſtire ſereno,
  Suecia nam grandi damna rependit ope.
Nimirum gelida Reginam mittit ab Arcto,
  Quæ ſupplex mira te pietate colat.

Et

Et quæ olim rapuit, magno nunc fœnore reddit,
Dum Regale tibi deuouet ipſa caput.
Ergo tuæ nimium fœlices Roma ruinæ,
Quas *Virgo* vt reparet Regia, Regna fugit.

Sueciæ Reginæ ex ædibus Farneſianis domum profeſſam Romanam Soc. Ieſu ingredienti.

EPIGRAMMA CXVII.

Regia Farneſijs aſſueta penatibus hoſpes,
Hæc quoque tecta libens Farneſiana ſubi.
Hic tibi Alexandri poſt aurea culmina templi,
Par Odoardus auis ſuſpiciendus erit.
Sed quia regalē domus hæc licet ampla decorem,
Vix toto poterit continuiſſe ſinu.
Noſtra patent reſerata manu tibi corda fideli,
Quæ Magnus nullo limite ſignat amor.
Forſitan hac melius grata ſpatiaberis aula:
Rege cor eſt quando Regia digna magis.

Sfor-

Sfortiæ Pallauicino Soc. Ieſu Pro hiſtoria Concilij Tridentini ab eo ſcripta contra Petrum Suauem Polonum.

EPIGRAMMA CXVIII.

MAgno ex hoſte refers æternũ Sfortia nomen,
Et ſtupet ingenio fama canora tuo.
Atramenta tibi præbet Sapientia, chartas
Cana fides, calamum Pallas amica nouum.
Fit ſtupor, at maior, quod tu dum conficis vnum,
Hoſtes hoc vno vulnere mille cadunt
Innumeri cecidere Duces, Sampſone cadente,
Plures, victurus tu ſine fine, necas.

Aliud.

EPIGRAMMA CXIX.

PAlladis egregium meruit Tritonia nomen,
Cum cecidit Pallas illius enſe Gigas.
Tu formidatum dum Palladis arte Gigantem
Sfortia proſternis, quod tibi nomen erit?
Non par à victo; ſed cum Duce Pallade vincas,
Munere Palladio, Pallauicinus eris.

Car-

Cardinalis Iulius Romæ Patri primum mittit mille aureos tempore peſtis; ille filio reſtituit.

EPIGRAMMA CXX.

NOn modicum miſit Genitori Iulius aurum;
  Serperet in Patriam, dum miſeranda lues.
Extollit Genitor memorabile pignus amoris,
  Sed nato gaudet reſtituiſſe ſuo.
Atque ait, ah pudeat noſtros penetrare penates,
  Quæ ſacrata ſemel dona fuere Deo.
*V*tere tu hoc potius fili dulciſſime cenſu,
  Si tua nulli vnquam dextra negauit opes.
Fœlices ambo, ſed cuius gloria maior?
  Reddere plus aurum, quam dare, forte fuit.

O   *He-*

Hæreſis profligata à Sfortia Pallauicino in Hiſtoria Concilij Tridentini.

EPIGRAMMA CXXI.

VIpereas laniata comas in Tartara præceps
  Hæreſis horrendum conde ſuperba caput.
Scilicet inuictâ te Sfortia fulminat haſtâ ,
  Olli quam Pallas munus ab axe tulit .
Fortunata tamen, tibi, ſi iactare licebit ;
  Qua cecidi magnæ Palladis haſta fuit.

Vir-

Digitized by Google

Virgilius Spada in Lazzaretum ſe proripit, frater Cardinalis magnam vim auri offert, vt illum redimat. ALEXANDER VII. *gratis illico reddit.*

EPIGRAMMA CXXII.

DAt ſe Virgilius medios moriturus in ægros,
Vt leuet auxilio, quos premit atra lues.
Accurrit frater ſacro ſpectabilis oſtro,
Et pro fratre, auri pondera magna vouet.
Errat Amor, virtus raris nam cognita ſæclis,
Eoi eſt opibus, nec redimenda maris.
Solus Alexander, fratrem ſine fœnore reddat,
Et pretium tanti ſoluat Amoris, Amor.

Ad ſereniſsimam Remp. Venetam poſt reditum Patrum Societ. IESV.

EPIGRAMMA CXXIII.

VNdarum Regina potens, cui neſcia vinci,
Victores lambit Thracia luna pedes;
Te vincis, iam barbaricis ſat clara triumphis;
Maior, Alexandri cum prece victa, redis;
Et Loyolæos reuocas generoſa ſodales,
Qui tua vel fuſo ſanguine Regna colant.
Odryſiaſque acies frœnare aſſueta catenis;
Quot pia tam magno munere corda ligas?
Scilicet hoſte truci pelago, terriſque ſubacto;
Corda triumphalis nunc tibi currus eruat.

Patres Societatis IESV *Ad ſereniſsimam Remp. Venetam poſt reditum.*

EPIGRAMMA CXXIV.

SYdus Alexandri nobis iam ſydera reddit,
Fitque poli, ad terræ lumina, lumen iter.

Cum

Cum nos in Venetum ſplendentia regna reducit;
Aſtra vbi tot Patrum non moritura micant.
Heſperus, vt ſtellas nocturno pandit olympo,
Aut reſerat clauſum lucifer axe diem.
Sed fuerit nobis Veſper, ſeu Phoſphorus ille,
Vos eritis Stellæ, vos ſine nube dies.

Bertuccio Valerio Venetorum Duci:

EPIGRAMMA CXXV.

Suſpicit Hadriacus Valeri te maxime Pontus,
Ore tuo quoties nectaris vnda fluit.
Teq. potens, Thracum domitrix, Regina, veretur,
Tot Reges inter cum tua ſceptra moues.
Nam tot habet Reges, quot claudit Curia Patres,
Tam benè qui tecum luce minore nitent.
Frænare Imperio Populos eſt gloria Regum:
Sed tua ſit, multis Regibus eſſe Ducem.

Natalitijs Chriſti Domini diebus poſt longas pluuias cœlo iam ſereno perlatum eſt Romam: Natum eſſe Principem Hiſpaniarum anno 1657.

EPIGRAMMA CXXVI.

NAſcere Magne Puer, ſpes Regni optata labantis
Dum te pacata ſydera fronte vocant.
Et nigra ceu tandem diſiecit nubila cœlum,
Tu quoque ſic terris bella cruenta fuga.
Te modò ad hâc palmâ Bethlemicus erudit infâs,
Aurea pax orbi, quo veniente redit.

Sereniſſimo Venetorum Duci Ioanni Piſauro.

EPIGRAMMA CXXVII.

SOl Dux aſtrorum cæleſtes temperat Orbes;
Tu ſole in Terris non minor, aſtra regis.
Aſtra

Aſtra ſed hæc fulgent Phœbeæ lampadis inſtar
Regia queis Venetum clarior axe nitet.
Magne Piſaure, igitur ſi ſunt tua ſydera ſoles,
Dux inter Soles, lumine quantus eris?

Ioannes Piſaurus

Anagramma purum.

Si annos ſuperaui

Ipſemet loquitur creatus Venetorum Dux.

EPIGRAMMA CXXVIII.

SI fama occidui *ſuperaui* temporis *annos*
Vna mihi ſupereſt, ſed ſine nocte dies.

Ioannes Piſaurus

Anagramma purum.

Nini ſuperas auos

EPIGRAMMA CXXIX.

MAgnos vicit auos Ninus Babilonius heros,
Aſſirios potuit cum domuiſſe duces.
Sed tu maior Nino, etiam Babilone ſubacta
Thracas & Aſſirios ſub tua iura trahes.
Tunc erit ergo parum, ſuperato dicere Nino,
Tu *Nini ſuperas*, Ninus, vt alter *auos*.

Ioannes Piſaurus

Anagramma purum.

Auri, os, penna, ſuis

EPIGRAMMA CXXX.

AVrea dicta fluunt, facundo ex ore Piſauri
Nec rudibus chartis aurea verba notat.
Ne mirere igitur Venetis ſi fulget vt aurum;
Ille eſt *os auri*, eſt aurea *penna ſuis*.

Auium

Auium omnis generis munus ingens Card. Antonij Barberini ad P. P. Domus profeſſæ Romanæ Soc. IESV.

EPIGRAMMA CXXXI.

TAm large nobis mittis genus omne volantū,
Vt cælum pennis te viduaſſe putem,
An clara, vt citius volitet tua fama per auras,
Illi tot pennas addere forte cupis?
Sed magnum Antoni nomen ſuper æthera ferre,
Plurima penna licet non erit vlla ſatis.

Aliud.

EPIGRAMMA CXXXII.

TOt volucres donas, quot radūt æthera pēnis
Et dare ſic leges te, per inane doces.
Nimirum, ſi iam terris dominaris Amore.
Sumere debueras ætheris imperium.

In obitu Iulij Cardinalis Romæ viri eximij.

EPIGRAMMA CXXXIII.

ROmanas ſiccis oculis ſpectare ruinas
Olim qui potuit, nunc ſine lege gemat,
Roma etenim cecidit,magnũ decus Vrbis,&Orbis,
Cui par Romulidum nulla ruina fuit.
I Roma, & priſcum ſpera inſtaurare decorem,
Id ſi quo poteras Iulius vnus erat.

Aliud.

EPIGRAMMA CXXXIV.

NAtura, & virtus generoſo in pectore Iuli,
Olim diuitias depoſuere ſuas.
Has rapuit, fidoque dedit libitina ſepulchro,
Ne tantis opibus Roma ſuperba foret.
Aſt ego iacturã lacrymis, dum proſequor Orbis,
Mœrentiſque Vrbis grandia damna gemo;
Deſine flere mihi, Parcarum maxima dixit,
Theſauros tellus condere auara ſolet.

An-

Aurelianenſis Virgo bellicoſa.

EPIGRAMMA CXXXV.

CEdat Amazonidum notiſſima fabula vero,
Gallica ſi vincit fœmina mille Duces.
Hæc timidas inter pecudes, imbellis, inermis,
Armata didicit bella ciere manu.
Anglos ſœpè domat,preſſum Regem eripit hoſti,
Vallataſque arces obſidione leuat:
Donec capta ducis, ſeu vi, ſeu fraude Britanni,
Splendeat vt *V*irgo clarior, igne perit.
Aut noua ne Pallas, fœdo cadat hoſtia Marti,
Illam lapſa polo flamma pudica rapit.

FERDINANDVS IV.
Auguſtæ ſpei adoleſcens moritur paulò ante ſolis defectum anno 1654.

EPIGRAMMA CXXXVI.

A*V*roræ in gremio ſol funere palluit infans,
Cum datus, & raptus Rex tibi Roma fuit.

Ingemuit Terræ caſum ſol æthere ab alto ;
Nec timuit ſubita condere nocte diem ;
Atque ait, amiſſo luget ſi lumine tellus,
Rege ſuo atrato ſydera in axe gemant.

Templum operoſum D. Agnetis vbi olim erat Lupanar ab INNOCENTIO X. *excitatum.*

EPIGRAMMA CXXXVII.

HIc vbi Virgineis niuibus tẽpla aurea ſurgunt,
Olim turpis erant tecta nefanda Deæ ;
Hic prius immundo crocitabant gutture corui;
Nunc olea diues pura columba gemit.
Hic iam flos Veneris fœdos ſpirabat amores,
At modo Pamphilij lilia caſta nitent.
Scilicet *Innocuo* regnat ſub Principe candor,
Obſcænoſque Greges *Agna* pudica fugat.

Sex

Sex globi ſtemma Ferdinandi Magni Aetruriæ Ducis.

EPIGRAMMA CXXXVIII.

FErdinande, ſuos orbes tibi ſydera cedunt;
Quando animo tellus eſt nimis arcta tuo.
Et ne tam magno ſint Principe Regna minora,
Sex Orbes didicit ſtemma rotare tuum.

Veſtigium magnæ Villæ Hadriani Imperatoris in agro Tyburtino.

EPIGRAMMA CXXXIX.

QVi cupis e ſpolijs antiquum noſcere Tybur,
Hic,auida vt ſtupeant lumina,ſiſte gradum
Oſſa vbi ſparſa iacent ingentis, grandia Villæ,
Et priſcum ſpirant imperioſa decus.

Et

Et dum præruptas moles, vaſtaſque ruinas,
Et diſiecta ſolo templa, theatra, vides.
Romam olim in Tybur credas migraſſe ſuperbũ,
Septemque huic vni poſthabuiſſe iugo.
Sed tandem in cineres, fatis vrgentibus actam,
Immani hoc tumulo ſe voluiſſe tegi.

Alarici Gothorum Regis poſt direptam Vrbem tumulus.

EPIGRAMMA CXL.

ROmulidum ſpolijs rediens Alaricus onuſtus;
Brutia qua florent arua, repente perit.
Cum belli proceres auertunt fluminis vndam,
Defoſſoque alueo cœca ſepulchra parant.
Hic multũ cum Rege aurum, gẽmaſq. recondunt,
Aſſuetumque iubent currere flumen iter.
Et ne venturis tumulus ſit cognitus annis,
Seruos pro facti munere, morte necant.
Sic Alarice iaces ignota clarior vrna,
Oſſaque ſecura condita nocte latent.
Barbara Romanæ ſed tot monumenta ruinæ
Sanguine, terra, Vndis, non potuere tegi.

In nuptijs Marchionis Maidalchini, & Eugeniæ Spadæ

Quorum inſignia ſunt huius lilia, & enſes, illius Turris, & Stellæ.

EPIGRAMMA CXLI.

Lilia ſpargit amor, nudoque accingitur enſe
  Egregium, vt Iuuenem ſub ſua iura trahant,
Dein alta è Turri, quam ſydera trina coronant,
  Virgineum flammis pectus inerme petit.
Vincere, ſed teneram ſtellata ex arce puellam,
  Laus pueri Aligeri non celebranda fuit.
Imbelli, at gladio, niueo ſub flore iacente,
  Gloria, quam magna eſt edomuiſſe Virum?

In

In ijsdem nuptijs, & inſignibus.

EPIGRAMMA CXLII.

Lilia, Camporum Stellæ, florentibus aſtris,
  Lege maritali. quam benè iungit amor.
Quam benè ſublimi, gladios ſuſpendit in arce,
  Si nequit hoc illis aptior eſſe locus.
Sors igitur veſtra ò fœlix, queis lilia cœlum,
  Queis vice mutata ſydera terra ferent.
Incluſique diu munitis Turribus enſes,
  Rumpendæ numquam fœdera pacis erunt.

Abbas Farina vindicat ab obliuione antiquam Etymologiam.

EPIGRAMMA CXLIII.

Sciſſa vbi terra fuit ferrata Palladis haſta,
  Pallentes primùm fudit oliua comas.
Tu calamo ſcrutaris opes, tu Regna Mineruæ,
  Et monimenta rapis ſemiſepulta Deæ.
